.anislao di S. Vincenzo Ferrer

6
19-d
55

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 G
40

6. 19. d. 55

Della Libreria de' Morizi
Delle Scuole Pie di
S. Lorenzo in Borgo Roma

CAROLI
A S. ANTONIO PATAVINO ANCONITANI
Ex Cler. Regul. Paup. Matris Dei Scholarum Piarum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE ARTE EPIGRAMMATICA,
SIVE
DE RATIONE EPIGRAMMATIS RITE CONFICIENDI LIBELLVS,
Iterum ab eodem AVTHORE reformatus, adeòque auctus, vt in eo
EPIGRAMMATA
Poetarum plurium, quàm centum, contineantur.

EDITIO TERTIA.

EXCELL.MO PRINCIPI
AVGVSTO CHISIO

CAROLVS A S. ANTONIO PATAVINO
ANCONITANVS
Religionis Paup. MATRIS DEI Scholarum Piarum.
P. F. P.

QVemadmodum, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, quinque, vigintiq. ab hinc annis, nèpè Anno Sancto ſuperiore, vt EMINENTISSIMI PATRVI tui FLAVII Poeticis ſtudijs aliqua ex par-

te prodeſſem, hunc de ARTE EPIGRAMMATICA Libellum, ipſius clariſſimo Nomini inſcriptum, typis tradidi, ita nunc, Anno quoque Sancto, eumdem Libellum bis à me reformatum, biſque auctum (iterùm enim, duobus videlicet ab hinc annis Florentiæ editus fuit) tibi dicatum exhibeo, Romanis typis impreſſum, in tuum potiſſimùm progreſſum, atque aliquod grati animi teſtimonium erga eundem Ampliſſimum S. R. E. CARDINALEM, & EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM AVGVSTINVM PATREM tuum, qui te mihi, licèt minùs idoneo, melioribus certè poſtpoſitis, liberalibus diſciplinis erudiendum tradidere, memores nimirum beneuolentiæ, qua me ALEXANDER VII. P.M. ſemper fuerat proſecutus; cuius ſingulari beneficio, meum hoc opus, Coloniæ Vbiorum primam acceptam refert editionem ſuam, vt hanc tertiam munificen-

ficentiſſimi Patris tui liberalitati. Quod profectò in tuum, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, nunc Opus editum emolumentum, vtrique eorum nonniſi gratiſſimum fore confido; ipſis enim maiori curæ eſt, vt ipſe cauſſa virtutis, quàm, vt progeniei ratione dilauderis; ac meritò quidem: cum enim celſiſſima virtus, clariſſima progenie nobilior ſit, illuſtrior etiam eſt honor, qui inde conſequitur. Ad cuius virtutis acquiſitionem, quin feliciſſimè peruenturus ſis, non datur mihi dubitandi locus, præſtanti enim es ingenio, maximaq. memoria; vnde fit, vt, & quæ doceris, facillimè percipias, & percepta, mente firmiſſima tuearis. Tanti igitur ingenij, tantæq. memoriæ bono præditus, in ſtudia, vt facis, diligenter incumbas: atque intereà præceptiones, obſeruationes, animaduerſioneſque meas, hoc Opere contentas, attentè le-

gas, variaque illuſtrium Poetarum Epigrammata in eo poſita, ſumma cura imitari coneris: componendis enim Epigrammatis, quorum propria argutia eſt, cùm in primis excitetur mens, & acuatur ingenium, magis idoneus, magiſque alacer efficitur iuuenis ad grauiorum ſtudiorum viam ingrediendam, quibus nobiliſſima virtus comparatur. Vale.

AVTHOR LECTORI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ECce prodit tertiò in publicam lucem, candide Lector, exoptatus meus de Arte Epigrammatica Libellus: exoptatus, inquam; cùm enim primæ editionis exemplaria nulla ampliùs inuenirentur, nam tribus, ac viginti ante annis fuerat editus, ideòque iterum Opus typis eſſet commiſſum, tot errores, abſente me, incuria Typographorum irrepſerũt, vt exemplaria cuncta mihi dono miſſa, pudore ſuffuſus, ab alijs videri non ſim paſſus; itaque amicorum votis ſatisfieri minimè potuit, aliorumque, qui ipſum Opus auidiſſimè expectabant, cum præſertim plurimùm à me auctum intellexiſſent. Verùm tot errores cauſſa fuerunt, vt Libellus melior euaſerit;

rit; ipſum enim ſtatim correxi, caſtigaui, iterum auxi, multiſque locis immutaui, atq. in meliorem formam redegi, talemque conſtitui, vt mihi nunc ſecundæ editionis Libellus omninò diſpliceat, eumque apud omnes, ad quorum manus peruenit, perpetuis tenebris occultatum deſiderem. Inter alia, quæ ad hanc tertiam exſcriptionem addita fuerunt, ſunt plurima Authorum plurimorum Epigrammata, quibus afferendis ea de cauſſa volui eſſe prolixior, vt nimirum, cum per exemplorum imitationem facilior ſit aditus ad diſcendum, ipſorum Epigrammatum vbertate, ac varietate delectati Iuuenes, ad ipſam imitationem vehementiùs excitarētur: ob eamque cauſſam multa etiam mea exempla in medium attuli. Vt autem totius Libelli ordinem videre facilè poſſis, quò ad ipſius lectionem libentiùs accedas, eius contextum hic tibi præponere congruens iudicaui. Vale.

CON-

CONTEXTVS LIBELLI.

Conſtat Libellus ex Capitibus VII.

IN CAPITE I.

Oſtenditur,

Epigramma quid ſit, & quotuplex,

IN CAPITE II.

Oſtenditur,

Epigrammatum Materia quæ ſit, quot ſint Genera, & quot Partes.

IN CAPITE III.

Agitur

De Narratione, prima Epigrammatis Parte, eiuſque Virtutibus, & Vitijs, vbi multa de Elocutione, & Suauitate.

IN CAPITE IV.

Vbi

De Locis, & Modis aliquot, quibus Narratio in Epigrammate comparatur, hi decem, tamquam inſigniores, connotantur, & plurimis illuſtrantur exemplis.

Nempè
- I. Repetitio,
- II. Similitudo,
- III. Comparatio,
- IV. Contrapoſitum,
- V. Parodia,
- VI. Hyperbole,
- VII. Allegoria,
- VIII. Aenigma,
- IX. Congeries,
- X. Deſcriptio.

IN CAPITE V.

Agitur

De Argutia, altera Epigrammatis Parte, eiuſque Virtutibus, & Vitijs.

Vbi multa afferuntur Epigrãmata, argutè concluſa

Ex
- Maiori.
- Minori,
- Aequali,
- Diuerſo,
- Contrario,

IN CAPITE VI.

Vbi

De Locis, & Modis aliquot, quibus Argutia in Epigrammate comparatur, hi decem, tamquam inſigniores connotantur, & plurimis illuſtrantur exemplis,

I. Vox

Nempè
- I. Vox ambiguæ ſignificationis,
- II. Dictum ambiguæ ſignificationis,
- III. Vox, eadem penè litteris,
- IV. Alluſio,
- V. Irriſio,
- VI. Hyperbole,
- VII. Allegoria,
- VIII. Sententia,
- IX. Enumeratio nominũ præpoſitorum.
- X. Inopinatum, ſiue inexpectatum.

IN CAPITE VII.

De toto Epigrammate,

Oſtenditur,

Epigramma optimum eſſe, in quo

Vel { Fel / Acetum / Sal } Eſt.

Præterea, optimum eſſe, quod eſt ingenioſè compoſitum, quod nimirùm conſtat ex aliquo, aptè, venuſtè, aut lepidè excogitato,

Aut ex
- Correlatione,
- Dialogo,
- Echone,
- Anaſtrophe,
- Anagrammate,

ſubiectis exemplis.

IOSEPH
A VISITATIONE
Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, Scholarum Piarum Præpoſitus Gñlis,

CVm liber inſcriptus de Arte Epigrammatica P. Caroli a S. Antonio Patavino, noſtræ Religionis, iuſſu noſtro recognitus fuerit, & approbatus, facultatem concedimus, vt iterùm typis mandetur, ſi ita iјs, ad quos ſpectat, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ die 3. Martij 1675.

Loco ✝ Sigilli.

Ioſeph à Viſitatione Præpoſitus Gñlis.

Impri-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apoſt. Mag.

IN CAROLVM
A S. ANTONIO PATAVINO, ANCONITANVM
Authorem
ARTIS EPIGRAMMATICÆ
menſe Maio editæ.

*E*Cce, nouus Vates, Epigrammatis Arte *magiſter*,
Carolus, ingenij nobile pandit Opus.
Omen ineſt libro: cum gaudent omnia vernis
Solibus, illuſtri naſcitur ille typo.
Cum roſa denſatis ſpinarum cingitur hamis,
Et legit, & ſtimulo mella tuetur apis;
Carolus obtuſas Epigrammatis arte *Camænas*
Eſſe vetat; docilem tam bene cudit acum
Bilbilis in numeros: an acumina ſurpuit Hyblæ
Ergo, verecundis an ſua tela roſis?
Spicula num Phœbo, quæ Python ſenſit? an haſtam
Pallados, & libro condidit illa ſuo?
Credite, Pierides; mecumque edicite, libro
Parcat vt huic Momi naſus: acumen habet.

FERDINANDVS DE FVRSTENBERG.

BIBLIOT. VITTORIO EMANUELE

CA-

CAROLI A S. ANTONIO PATAVINO ANCONITANI

Ex Cler. Regul. Paup. MATRIS DEI Scholarum Piarum

DE ARTE EPIGRAMMATICA, SIVE DE RATIONE EPIGRAMMATIS RITE CONFICIENDI LIBELLVS.

Epigramma quid ſit, & quotuplex.

CAPVT I.

EPIGRAMMA (vt definit IVLIVS CAESAR SCALIGER *cap.* CXXVI. lib. III. *Poetices*) *eſt Poema breue cum ſimplici cuiuſpiam rei, vel perſonæ, vel facti, indicatione; aut ex propoſitis aliquid deducens.* Ipſum au-

 tem

tem Græcum nomen, Epigramma, latinè ſonat, Inſcriptio.

Quamobrem Veteres, eos titulos, quos trophęis, ſtatuis, imaginibus, pro Elogijs inſcribebant, proprio ſignificatu, Græcè, EPIGRAMMATA nuncuparunt. Hoc autem EPIGRAMMATIS nomine breuia dumtaxat Poematia poſteà dicta ſunt, propter ipſam, (vt innuit Scaliger eodem *cap.* CXXVI.) *breuitatem, quaſi nihil eſſet, præter ipſam Inſcriptionem.* Cuius breuitatis cauſa multum quidem diligentiæ in ipſis componendis adhibendum eſt, ne quid inſit, quod meritò reprehendi poſsit: nulla eſt enim metrica compoſitio, quæ minùs aliquid vitij patiatur: quandoquidem EPIGRAMMA eſt inſtar breuis picturę, in qua vnico obtutu cognoſcitur ſtatim, ſi quid peccatum eſt.

Ex allata Scaligeri definitione, Quotuplex EPIGRAMMA ſit, apertiſsimè patet, duplex videlicet.

{ *Simplex,*
Compoſitum. }

EPIGRAMMA *ſimplex* eſt, in quo ſola Narratio eſt, vera, vel ficta.

EPIGRAMMA *compoſitum* eſt, in quo Narratio, & Argutia continentur.

EPIGRAMMA SIMPLEX
Eſt apud MARTIALEM LXII. *lib.* I.
In quo narratur,
vnde Scriptores,
AD LICINIANVM.

Ve-

Verona docti ſyllabas amat Vatis,
Marone felix Mantua eſt.
Cenſetur Apona Liuio ſuo tellus,
Stellaque, nec Flacco minùs:
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus:
Naſone Peligni ſonant.
Duoſque Senecas, vnicumque Lucanum,
Facunda loquitur Corduba:
Gaudent iocoſæ Canio ſuo Gades,
Emerita Deciano meo.
Te, Liciniane, gloriabitur noſtra,
Nec me tacebit Bilbilis.

EPIGRAMMA COMPOSITVM
Eſt apud eumdem MARTIALEM XVIII. *lib.* IV.
De puero, ſtillicidio iugulato.

Quà vicina pluit Vipſanis porta columnis,
Et madet aſſiduo lubricus imbre lapis,
In iugulum pueri, qui roſcida templa ſubibat,
Decidit hiberno prægrauis vnda gelu.
Cumque peregiſſet miſeri crudelia fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non ſæua ſibi voluit fortuna licere?
Aut vbi mors non eſt, ſi iugulatis aqua?

Huius autem ſecundi generis *Epigrammata* ferè ſemper inuenies apud hunc argutiſsimum Poetam, verè Principem Epigrammatographorum; ea vbique in ipſius libris ſeſe offerunt, & in hoc noſtro Libello,

quem optimorum Vatum exemplis impleuimus: in his enim componendis optimorum ingenia Vatum elaborant; neque ſolùm, cum latinè ſcribunt, ſed etiam Hetruſcè: Quid enim aliud ſunt breues quædam, argutęque Poeticę Compoſitiones, vulgò, *Sonetti*, *Madrigali*, *&c.* quàm huiuſmodi Epigrammata? Quòd vt clariſſimè innoteſcat, aliquot proprijs locis apponam, cum earum verſione in linguam Latinam.

Ac meritò optimi poetę in huius generis Epigrãmatum compoſitione ſe exercent; hæc enim Epigrammata compoſita delectant, hæc laudantur, hæc digna ſunt imitatione; nam quæ ſimplicia ſunt, vt plurimum languent, frigent, ac prorsùs iacent, argutia, quadam quaſi anima, deſtituta: quod cum aggrediuntur, non niſi res venuſtiſſimas, & lepidiſſimas, maximèque illuſtres, & egregias narrandas ſuſcipiunt, eaſque eleganti in primis, concinna, variaque dicendi ratione perſequuntur: vt patet, optimè factum à MARTIALE in ſuperiori Epigrammate ad LICINIANVM, in quo, & elegantia, & concinnitas, & varietas, ex appoſitis verbis *Amat*, *felix*, *cenſetur*, *plaudit*, *ſonant*, *facunda loquitur*, *gaudent*, *iocoſæ*, *gloriabitur*, *nec tacebit*.

Vide, quàm eleganti, concinnaque Narratione, politiſſimus Vates PETRVS ANGELIVS Bargæus agat, in ſequenti Epigrammate,

De XIII. Italorum cum XIII. Gallis pugna, in Peucetijs ex prouocatione commiſſa.

Quiſ-

Quiſquis es, egregijs animum ſi tangeris auſis,
Perlege magnorum maxima facta ducum.
Hic tres, atque decem forti concurrere campo
Auſonios Gallis altus adegit amor.
Certantes, vtros bello Mars claret, & vtros
Viribus, atque animis auctet, alatque magis.
Par numerus, paria arma, pares ætatibus; & quos
Pro patria pariter laude periſſe iuuet.
Fortuna, & virtus litem generoſa diremit;
Et quæ pars victrix debuit eſſe, fuit.
Hic ſtrauere Itali iuſto in certamine Gallos;
Hic dedit Italiæ Gallia victa manus.

Huius certaminis, & victoriæ extat quoque memoria Romæ, in noſtra S. Pantaleonis Eccleſia in lapide Sepulchrali, à Bernardino Biſcia V. I. D. poſito Matri ſuæ Laodomiæ, filiæ vnius ex his tredecim Italis: initium enim Epitaphij tale eſt.

D. O. M.
LAODOMIAE. IOANNIS
BRACALONII. QVI. INTER
TREDECIM. ITALOS. CVM
TOTIDEM. GALLIS. CERTAVIT
ET. VICIT. FILIAE

Quod ego non ſine magna difficultate, licèt Patris Laodomiæ nomen, cognomenque ſuppreſſerim, nullaque ſim vſus argutia, Diſticho ſum complexus:

BIBLIOTECA ROMA

quod hoc Capite apponere congruens viſum fuit, in quo etiam de ſimplici Epigrammate actum eſt, quod ex ſola conſtat Narratione: En ipſum Diſtichon.

Gnata Itali, vnius ex tredecim, vicere duello
Qui Gallos totidem, hic Laodomia iacet.

Dixi: non ſine magna difficultate complexus ſum Diſticho: de hoc, ſi Lector, ambigis, eiuſdem Epitaphij verba, meo diſticho occultato, cuipiam cum eadem Patris nominis, & cognominis exceptione, proponas, vt diſticho comprehendat: iſque tibi proculdubio, idem fatebitur, edoctus experientia.

Epigrammatum Materia, quæ ſit: Quot ſint genera, & quot Partes.

CAPVT II.

QVamuis autem EPIGRAMMATA breuia quędam Poematia ſint, materiam tamen habent ampliſſimam, & cum oratore communem: Quamobrem benè Scaliger eorum Genera tot eſſe dixit, quot ſunt Genera Cauſarum, tria videlicet.

Ipſis enim, vel accuſamus, vel defendimus; quæ ſunt Generis Iudicialis.

Vel ſuademus, vel diſſuademus; quæ ſunt Generis Deliberatiui.

Vel laudamus, vel vituperamus; quæ ſunt Generis Demonſtratiui.

Vnde non immeritò ob tam multiplicem, variam-

que.

que materiam, omnibus Verſuum generibus explicari ea poſſe tradidit idem Scaliger.

Partes verò EPIGRAMMATVM, ideſt, eorum, quæ compoſita ſunt (Simplicia enim Narratione tantùm conſtant) duas eſſe, facilè colligimus ex verbis illis Scaligeri, ſupra allatis: *aut ex propoſitis aliquid deducens*, videlicet.

{*Narrationem*,
{*Argutiam*.

nam quicquid propoſitum eſt, lato quodam modo ad vnam *Narrationem* reuocamus, quòd ex propoſitis deducitur, *Argutiam* dicimus.

De quibus Partibus, ex quarum recta conſtitutione, optimum euadit EPIGRAMMA, diligentiſſimè agemus, ac locos aliquot, modoſque inſigniores oſtendemus, quibus iſtæ Partes rite comparantur, ſubiectis quàmplurimis, tum antiquorum Poetarum, tum recentiorum exemplis; Quæ omnia cum abſoluerimus, quæpiam etiam generatim de toto Epigrammate trademus; atque ita huic Operi modum imponemus.

De Narratione, prima Epigrammatis parte, eiuſque Virtutibus, & Vitijs.

CAPVT III.

NArratio in Epigrammate *totum illud* dicitur; *quod anteponitur Argutiæ*. Quoniam verò (vt ſupra dictum eſt *cap. 1*) *Narratio* vera, vel ficta con-

ſtituitur, quid in vtraque animaduertendum, præſtandumque ſit, ſciat, neceſse eſt, quicunque Epigrammata conſcripturus eſt.

Animaduertendum igitur, diligenti, accurataque opus eſſe declaratione, ſi fortè *Narratio* vera in re quapiam non clara, apertaque verſabitur; nihil autem, aut parum quidem explicationis afferendum, ſi, quod narrabitur, facillimè patebit: *Fictam* verò *Narrationem* de ijs rebus eſſe inſtituendam, quę ad aliquid verum, vel aliqua ex parte verum, alludant; vt ita, ſi non omnem, aliquam ſaltem veritatem ſub ipſius Narrationis fictæ velamine, latitare deprehendamus.

Præſtandum autem eſt in vtraque Narratione, vt inſint hæc duo.

{ *Elocutio* }
{ *Suauitas*. }

Elocutio erit in Narratione, ex Phraſibus Poeticis ritè delectis, nimirum, facilibus, claris, apertis; non nimis floridis, aut raris, ſed vſitatis; pręcipuè, ſi de rebus minùs ſerijs agetur. Si grauia graui ſtylo, minùs grauia minùs grauiter exponentur. Ad grauitatem autem Narrationis multùm conferunt Hexametra Carmina, ex frequentibus ſpondæis: Sunt enim iſta ſatis grauia: qualia ſunt, quæ ſequuntur, quibus Martialis inchoauit Epigrammata, quæ nunc notabuntur: tale enim eſt.

Carmen 1. Epigr. 1x. *lib*. 1.

Quòd magni Thraſeæ, conſummatique Catonis,

Et

Et carmen I. Epigr. XCI. *lib.* II.

Rerum certa ſalus, terrarum gloria, Cæſar.

Et carmen I. Epigr. XL. *lib.* IV.

Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.

Et carmen I. Epigr. I. *lib.* IX.

Non te cælabis ſublimi pectore vates.

Et carmen I. Epigr. L. *lib.* X.

Frangat Idumæas triſtis victoria palmas.

Cuiuſmodi carmine non ſolùm in principio ſequentis Epigrammatis vſus fui, ſed in toto Epigrãmate, in ſingulis enim ipſius carminibus Hexametris, binos tantùm Dactylos inuenies. Et profectò tali Spondæorum pedum grauitate procedere debebat Epigramma conſtituendum primo loco *libri* III. meorum *Epigrammaton Heroicorum*, in quo ſermo

AD ALEXANDRVM VII. PONT. MAX.
De ipſius excelſitate
Gentilitio quoque ſtemmate deſignata.

Maxime ALEXANDER, totus cui ſubiacet Orbis,
Te quoque ſublimem nobile ſtemma notat.
Ecce duplex nullis Quercus radicibus hærens,
Fixa ſolo, virides explicat alta comas.
Ac potiùs ſummo, quàm terris, æthere Montes
Stare vides, quando non procul Aſtra nitent.
Sic tu ſpernis humum, celſiſque attolleris actis:
Sic tua ſe pandit fama, niteſcit honor.

Gra-

Grauiſsimum autem Hexametrum euadit, ſi voce ex duabus pedibus conſtante terminatur: quale eſt apud Martialem in Epigram. 1. in Amphitheat. Cæſ.

Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro.

præſertim ſi illius vocis primus pes ſit ſpondæus, vt in ſequenti carmine eiuſdem 1. Epigrammatis.

Aere nec vacuo pendentia Mauſolea.

tale autem carmen, cuius quintus pes, ſpondæus eſt, ſpondaicum appellatur; In cuius quarta ſede dactylus omninò ſtatuendus eſt, ne, ſi ſpondæus ibi quoque ponatur, vt videtur in hoc verſu Lucretij.

An Cœlum nobis naturam introcorruptam,

& in hoc Catulli.

Nam tum Helenæ raptu primores Argiuorum

verſus potiùs proſaicus, quàm ſpondaicus eſſe videatur. Quod ſi huiuſmodi carmen etiam apud ipsũ Poetarum Principem, Lector ais, reperiri, non negabo: neque enim me latet: non tamen hortabor, vt in hoc eum imiteris; in longis enim compoſitionibus, quales ſunt Virgilianæ, quidpiam minùs viſitatum inſeri (rarò tamen) ſine nota poteſt, quod in breui compoſitione, qualis eſt epigrammatica, poſitum, reprehenſione non careret.

Vt autem rebus grauibus exponendis frequentes ſpondæi multùm proſunt (vt etiam infrà patebit in Epigrammate Martialis de Veſtino, in cuius ſingulis Hexametris duo dumtaxat Dactyli inueniuntur) ita rebus lætis, minùſque ſerijs, frequentia Dactylorum;

de

de quibus infra.

Præterea Elocutio erit in Narratione, cum verba non otioſa, non ſuperuacauea, non inepta fuerint, ſed neceſsaria, propria, & accommodata; præſertim verò Epitheta, ne, malè ea adhibentes, ad carmina potiùs explenda (vt paſſim videre eſt apud vulgares Poetas) quàm ad aptam vocum declarationem, ſiue congruens ornamentum, ijs vſi fuiſſe videamur. Quæ quidem Epitheta rite collocata, graue in primis, venuſtumque efficiunt Epigramma: quale eſt vel primum Martialis Epigramma in Amph. Cæſaris, quod vide loco IX *capite* ſequenti, & hoc de VESTINO, quod eſt LXXIII. *lib* 4. apud eumdem Martialem, qui frequenter Epithetis delectatur, adeòque, vt perſæpe duo verſibus tum Hexametris, tum Pentametris attribuerit, vt videre etiam licet hoc ipſo Epigrammate.

Cum grauis extremas Veſtinus duceret horas,
Et iam per Stygias eſſet iturus aquas;
Vltima voluentes orabat penſa ſorores,
Vt traherent parua ſtamina pulla mora;
Iam ſibi defunctus, caris dum viuit amicis;
Mouerunt tetricas tam pia vota Deas.
Tum largas partitus opes, à luce receſſit:
Seque mori poſthac credidit ille ſenem.

Ex quo Epigrammate, hoc etiam, Lector, ediſcas; Epi-

Epigramma belliſsimè procedere, cùm ita res ex po-nuntur, vt carmina Hexametra, modò virgula, modò puncto, ſeu punctis, modò puncto cum virgula terminentur. Res autem ita expoſitæ, ſunt magis faciles intellectu. Epigrammata verò, vt plurimum ex talibus compoſita Hexametris inuenies apud ipſum Martialem; rarò enim Hexametra non interpungit: Hexametra, dixi, nam Pentametra ſemper ſenſu aliquo concludenda ſunt, vt ſi non pūcta, virgulam tamen admittāt. Quæ tamen Epitheta in fine carminum Hexametrorum minùs frequenter collocanda ſunt. Quamobrem diſplicet mihi Iulij Cæſaris Scaligeri animaduerſio in hoc carmen politiſsimi Claudiani.

Et diræ riget inclementia formæ,

maluiſſet enim, ſua quadam ratione permotus, ſic dici.

Et formæ riget inclementia diræ.

quæ mens illi, alroquin in iudicando ſapientiſsimo, minimè quidem inſediſſet, ſi meminiſſet, Virgilium, quem ſemper defendit, & cui, *eius*, vt ait, *diuinitatem, perinde, atque faſtigium quouis humano ingenio altius admiratus*, aras ſtatuit, ceciniſſe *lib. Georg.* III.

Et diræ rapit inclementia mortis.

ad cuius loci imitationem, quis non videat Claudianum incubuiſſe?

In fine autem carminum Pentametrorum, nunquā, vel rarò admodum, Epitheta conſtituenda, tumque non ſine peculiari iudicio; ferè enim ſemper, non

ſine

ſine nota, ac reprehenſione, Pentametra Epithetis cōcluduntur, vt etiam Participijs, Aduerbijs, & Pronomine, Is; cuius præſertim quarto caſu, ſiue ſingularis numeri, ſiue pluralis, deſinit Pentametrum nimis abiectè: ideòque eo caſu duo tantùm Pentametra concluſit Martialis: ipſe autem ab ipſius vſu me ſemper abſtinui.

Suauitas erit in Narratione, ſi dulcibus, & iucundis verbis agetur de rebus, quæ per ſe lætę ſunt, ſuaq; natura animos oblectant, vt ſunt virentes arbores, horti floridi, effluentes aquæ, riuuli placido pede labentes, egregij artificij fontes, tabellæ mira arte depictæ, & id genus alia: Dulcia autem verba ſunt, & iucunda, quæ fiunt per diminutionem: vt ocellus, Tulliola, & ea, in quibus, litteræ, e, i, l, pluries ſunt, ex quibus mira ſuauitas, præſertim, ſi rarum adſit, r, quod aſperitatem parit: Quæ verba multis Poetarũ locis oſtendo *lib.* II. *De Arte Rhetorica, cap.* XXV. vbi agitur *de Suauitate*.

Si carmen, neque aſperos, neque hiulcos admiſerit litterarum concurſus, præſertim prope finem: ſi vitauerit Monoſyllaba in principio cum Ecthlipſi, vel Synalœpha: ſi neque claudicauerit, pede aliquo perperam poſito nulla habita ratione iuncturæ, quæ omnia Suauitati maximè aduerſantur; vt videtur in his carminibus Catulli, atque infrà patebit in carminibus Ioannis Ouueni.

Tu ſatis id duxſti, tantum tibi gaudium in omni.
Tu quod promiſti mihi, quod mentita, inimica es.

Ipſe

Ipſe valere opto, & tetrum hunc deponere morbũ.
Non iam illud quæro, contra vt me diligat illa.
Vt iam nec bene velle queam tibi, ſi optima fias.
Quare iam te cur amplius excrucies?
Aut facere, hæc à te dictaque, factaque ſunt.
Ne amplius à miſero dona beata petas.

Verùm hiatus, quoad fieri poteſt, vitandus in Pentametro, nempè in vltimis pedibus, non tamen in cæſuris, in quibus monoſyllabon; nam raro fit non inconcinnè.

At ſanè non ſine mirabili quodam artificio, vt mihi quidem videtur, hiatum ponit Propertius in illo verſu, qui eſt in *Eleg.* IV. *lib.* III.

Ad vulgi plauſus ſæpè reſiſtere equos.

Dum enim equos, ait reſiſtere, facit, vt vel ipſum carmen reſiſtat, hiatus cauſa difficilè procedens. Hãc Propertij ſodalis ſui artem percepit Ouidius, namq. ei, vt ipſemet canit *lib.* IV. *Triſt. Eleg.* 10.

Sæpè ſuos ſolitus recitare Propertius ignes.

vnde illius memor carminis, cecinit, *Eleg.* II. *lib.* eiuſdem,

Quadrijugos cernes ſæpè reſiſtere equos.

Suauitas præterea erit in *Narratione* ex frequentia pedum Dactylorum; præſertim ſi nulla verſibus inſit Sinalœpha, & Ecthlipſis, ipſique Dactyli, in Hexametris ſubinde à iunctura liberi per ſe fluant, ſede videlicet prima, quarta, & quinta, vt multis in Epigrammatis videtur apud Martialem, cuius duo tantùm hoc loco afferam, quorum primum eſt, I. *lib.* IV.

De

De Natali DOMITIANI Imperatoris.

Cæſaris alma dies, & luce ſacratior illa,
Conſcia Dictæum, qua tulit Ida Iouem.
Longa precor, Pylioque veni numeroſior æuo,
Semper & hoc vultu, vel meliore nite.
Hic colat Albano Tritonida cultus in auro,
Perque manus tantas plurima quercus eat:
Hic colat ingenti redeuntia ſecula luſtro,
Et quæ Romuleus ſacra Terentus habet.
Magna quidem, Superi, petimus, ſed debita terris:
Pro tanto quæ ſunt improba vota Deo?

Alterum eſt, III. *lib.*VI.

De eiuſdem DOMITIANI Filio.

Naſcere Dardanio promiſſum nomen Iulo,
Vera Deûm Soboles; naſcere magne Puer.
Cui Pater æternas poſt ſecula tradat habenas,
Quique regas orbem cum ſeniore ſenex.
Ipſa tibi nineo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Inlia nebit ouem.

Dactyli autem Hexametrum carmen ſuauiſsimum efficiunt, ſi vel tres collocantur, vel quatuor, vel quinque, vt cernitur in ijſdem allatis Epigrammatis; Et ſanè Martialis verſibus tot Dactylis affluentibus, nimirum tribus, & quatuor perſæpè inchoans Epigrammata

grammata dulciſſimum illis initium impertitur, rarò enim per verſus ex quinque Dactylis inchoat, raròq. factum id à me, Lector, reperies, imò rariſsimè, quamuis Epigr: I. *lib*. I. mearum MVSARVM ANCONITANARVM, primumque ſecundi ab huiuſmodi carmine initium duxiſſe videris: Sic enim incipit Epigr. I. *lib*. I.

Me lege, quiſquis amas; placet hæc mea lectio Amanti.

atque ita Epigr. I. *libri* II.

Hic, vbi læta ſuper, petit aſtra Columba Obeliſco.

Carmen autem Hexametrum, in quo tres Dactyli, quorum ſingulos conſequitur Spondæus, vel vltimo loco Trochæus, vt belliſſimè ordine procedit, ita ſuauiſsimum eſt; vnde ab hoc carmine ſępe Martialis Epigrammata ſuauiſsimè incipiunt: vt inter alia, Epigr. cxvII. *lib*. I. de Antulla.

Hoc nemus æterno cinerum ſacrauit honore.

Et Epigr. LXI. *lib*. II. in Maledicum,

Cum tibi vernarent dubia lanugine malæ.

Et Epigr. xxvII. *lib*. Iv. ad Auguſtum.

Sæpe meos laudare ſoles, Auguſte, libellos,

Et Epigr. vIII. *lib*. vIII, ad Ianum.

Principium des, Iane, licet velocibus annis.

Et Epigr. LI. *lib*. eiuſdem ad Cæſarem Domitianum.

Quanta Gigantæi memoratur menſa triumphi.

Et Epigr. LIX. *lib*. IX. ad Nympham.

Nympha ſacri regina lacus, cui grata Sabinus.

Huiuſmodi carmine non rarò me quoque Epigrammata

grammata inchoaſſe video; vt Epigr. De Cruce Chriſti. Lib. I. Sacrorum.

In tumido, ceu cymba mari, ſpumantibus vndis.

& Epigr. ad S. Petrum Nolaſco. *lib eod.*.

Ambroſio Hyblæas volucres ſediſſe labellis.

Et Epigramma ad ſtultam Iuuentutem, *lib.* II. Moralium.

Ne tibi florenti placeas ætate, Iuuentus.

Et Epigr. De quadam Meretrice &c. *lib.* eod.

Dum ſpeculo flauos capitis miratur honores.

Et Epigr. ad Franciſcum Magnum. *lib.* III. Heroicorum.

Magnus es, ac Magnũ celebris te Patria ſpectans.

Et Epigr. ad Obeſum. *lib.* IV. Iucundorum.

Sole calent, ignique calent, & corpora motu.

Sed, vt ingenuè fatear, de hoc pedum ordine, cum componerem, nihil prorſus cogitaui. Quod ego tribuo meæ aſsiduæ optimorum Vatum lectioni, in primiſque Martialis: optimorum enim Vatum lectioni aſſueſcenti, vel non cogitanti, carmina, pedibus bello ordine conſtitutis, ſuauiſsima oriuntur.

Atque etiam Hexametrum dulciſſimum eſt, ac ſatis gratè influit in aures, cum vltimum ipſius pedem præcedit Dactylus, cuius initium à monoſyllabo; quale eſt apud Martialem in Epigr. XXII. lib. I.

Sed tam ſæua pius miracula non tulit hoſtis.

Et in Epigrammate XXX *lib.* V.

Si non derides, ſi verum, lux mea, narras.

Et in Epigr. LVII. *lib.* VIII.

Oſſa licèt quondam defuncti non legat hæres,
ſiue etiam, cum Hexametrum habet finem, voci in medio carmine, vel propè medium cōſtitutæ ſimiliter deſinentem, quod Leoninum appellatur, ſemipriſcis probatum, recentioribus ineptum, non tamen mihi, ſi parcè tamen adhibeatur, vel tantùm in principio Epigrammatis: quod etiam Martiali placuiſſe video: tale enim àpud eum eſt carmen primum Epigrammatis LXXVII. *lib.* I. ad Flaccum.

O mihi curarum pretium non vile mearum.

Et carmen primum Epigr. XV. *lib.* V. ad Cæſarem Domitianum.

Quinctus noſtrorum liber eſt, Auguſte, iocorum.

Et carmen primum Epigr. LXXVII. *lib.* VIII. ad Liberum.

Liber amicorum dulciſſima cura tuorum.

Multum quoque Suauitatis accedet ad Narrationem, ſi verſus Pentametri interdū verbo aliquo concludentur, ex tribus, vel pluribus ſyllabis conſtante: interdū, dixi, huiuſmodi enim exitus continuatione nimis mollis redditur Narratio; quod vitium in compoſitionibus Catulli; qui nimia hac ſermonis mollitie, & lenitate, Poetria mihi potiùs videtur eſſe, quàm Poeta, ideſt, fœmina potiùs, quàm vir.

Carmina autem ita deſinentia, rebus mœſtis ſunt in primis accommodata.

Duobus primis Pentametris ita deſinentibus vide quàm mœſtum ſit hoc initium Decaſtichi Catulli ad fratris tumulum.

Mul-

Multas per gentes, & multa per æquora vectus,
Aduenio has miſeras, Frater, ad inferias,
Vt te poſtremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.

Et quam mœſtè deſinat ſuauiſsimum hoc Martialis carmen, in Epigr·Lxxxv. *lib*-vi. quo flet mortem RVFI.

Et reſonet tota planctus in Aemilia.

Suauiſsimum quidem carmen, non ſolùm ex vltima dictione, de qua egimus, ſed quòd etiam in ipſo litteræ ſuauiſsimæ, e, i, l, non ſemel ſunt, aſperumq. r, vix locum habet.

Illud autem Suauitatem, gratiamque Pentametro demit, cum id ita conſtituitur, vt cæſura fiat non in vltima ſyllaba vocis, vel ſi fiat, fiat coniuncta cum ſequenti dictione plurium ſyllabarum. Ita verò nonnulli ex Veteribus carmen pangere conſueuerũt, inter quos Catullus, cuius carmina, quæ ſequuntur.

Mi miſero, eripuiſt omnia noſtra bona.
Troia, virùm, & virtutum omnium acerba cinis.
Si vera eſt Perſarum impia relligio.
Quam modò, qui me vnũ, atq. vnicũ amicũ habuit.

Sed fortaſsè in hoc vltimo carmine, non ſine iudicio, & artificio, huiuſmodi cæſura, qua dictio coniungitur cum ſequenti dictione, admiſſa eſt à Poeta, cum amicitiæ coniunctionem ſignificaret; vt eadem ſcilicet antecedentis, & ſubſequentis vocis coniunctione, quæ cæſurà fit, ipſam amicitiæ coniunctionem notaret.

Ipſe etiam in ſequenti Pentametro, quo Chriſtum puriſsima eius Mater ſic affatur,

Brachia da collo, atque oſcula iunge genis.

ſimili ratione cæſuram eamdem admiſi, vt nimirum oſculorum impreſsionem ſic etiam exhiberem.

Et in hoc altero,

Fauſta beans mors curſum omnia dona dedit.

nolui, non ſine arte, vt vltima vocis ſyllaba ſiſteret per cæſuram, ne mora videlicet fieret curſui, ſed vt in curſu daretur excurſus.

Neque ſua peculiari vacat arte cęſura in ſequentibus quinque Pentametris, quæ inter mea Epigrammata, in libris Muſarum Anconitanarum, vnà cum duobus ſuperioribus leguntur:

I. *Igne aqua ſic mirè exſurgit, & ignis aqua.*

II. *Per valida ad Cælum, atque ardua facta feror.*

III. *Ex te mellifere exire videntur apes.*

IV. *Abſcidit, linguam abſcindere non potuit.*

V. *Eſſe dolum: ludo interuenit arte dolus.*

Cum enim in Pentametro primo, dicatur aqua exſurgere, ipſum carmen exſurgit, cæſura in ſequentem vocem aſſurgente.

Secundum autem Pentametrum, dum ad Cœlum obtinendum labor arduus ſignificatur, non ſine arte, cæſura tali aſperum, & ſequenti ſynalœpha, duriuſculum effectum eſt.

In tertiò, cæſura illa non in fine vocis conſiſtente, ſed ad ſequentem ſe extendente, ipſe apium exitus, qui ſignificatur, exhibetur.

In quarto, dum à M. Antonio, linguam abſcindi non potuiſſe narratur, bene arte factum eſt, vt ipſa lingua per cæſuram non abſciſſa quodãmodo videatur, cum cæſura fiat non loco conſueto, ſed coniuncta cum verbo ſequenti.

Poſtremò, in quincto Pentametro, dum dicitur,

Ludo interuenit arte dolus, nonne bellè eadem cæſura admiſſa fuit, qua finis vocis antecedentis, coniungitur cum initio ſequentis? Sic enim etiam ipſe doli interuentus cum ludo connotatur.

In hac tertia Libri huius reſcriptione inter plurima, quæ addidi, ſunt allata quinque Pentametra, quorum cæſuræ artem patefeci, vt os occluderem cuidam malè obijcienti Librorum Ariſtarcho (tali enim nomine, nomine proprio ſuppreſſo, ſe ſubſcripſit in epiſtola, quam ad me miſit) qui quibuſdam erroribus typographicis exceptis, nihil in meis Muſis Anconitanis notauit, quod nõ ſtatim refelli poſsit: quæ enim obiecit (ea autem ferè omnia verſantur in quantitate ſyllabarum) falſa eſſe cognoſcuntur, optimorum Vatum auctoritate, vſuque, qui plura docet, & regulis, quæ traduntur in Proſodia, quas iſte Ariſtarchus ſi calleret omnes, ſe ſe à ſcribendo certè abſtinuiſſet.

Suauitati illud etiam contrarium eſt, cum finis Pentametri, habentis vocem vnius ſyllabæ tantùm in ſecunda cæſura, definit ſine ſynalœpha, vel Ecthlipſi, vt videtur in hoc carmine, quo Martialis concludit Epigram. LXIX. *lib.* XII.

Roma mihi: redeo, ſi vigilatur & hic.

Si enim Synalœpha, vel Ecthlipſis interuenit, ſuauitate carmen non caret, vt hoc, quod eſt apud eũdem in concluſione Epigr. XIII. *lib.* in Amphith. Cæſaris, ſiue Spectaculorum.

Quàque ſoluta parens, quàque perempta fera eſt.

Dixi: Pentametri, habentis vocem vnius ſyllabæ, in ſecunda tantùm cæſura: ſi enim vox quoque vnius ſyllabæ erit in prima cæſura, non erit inſuaue, imò auribus gratiſsimum, etſi in fine ſynalœpha caruerit, vel Ecthlipſi. Tale eſt Pentametrum apud eumdem in concluſione Epigr. XXX. *lib.* I.

Si dici tua vis, hæc eme, ne mea ſint.

Et Pentametrum, quo idem claudit Epigr. LXIII. *lib.* V.

Emi hortos; plus eſt: inſtrue tu; minus eſt.

Suauius tamen eſt Pentametrum, & venuſtius, ſi habens in medio, & in fine vocem vnius ſyllabæ, alterutro, vel vtroque loco cæſuram admittit cum ſynalœpha, vel Ecthlipſi, præſertim ſi ea vox eadem ſit, vt patet in ſequentibus eiuſdem carminibus, quibus vtitur in concluſionibus Epigrammatum, quæ nunc notabuntur.

In Concluſione Epigram. L. *lib.* IX.

Hæc toga iam non eſt Patheniana, mea eſt.

In Concluſione Epigramm. III. *lib.* XI.

Nil mihi vobiſcum eſt; iſte liber meus eſt.

In concluſione Epigramm XXXIV. *lib.* VIII.

Quod ſine te factum eſt, hoc magis archetypum eſt.

Obſeruaui, maluiſſe non rarò Martialem, verbum,

eſt,

eſt, in prima cæſura cum ſynalœpha, collocare, quàm admittere cæſuram, ſine illa figura, ipſo verbo, *eſt*, præpoſito: eo enim modo carmen gratiùs reſonat; vnde in Epigr. vlt. in Amph. Cæſ. maluit dicere:

Illa grauis palma eſt, quam minor hoſtis habet,
quàm, *Palma eſt illa grauis, quam minor hoſtis habet*,
Et in Epigr. XVI. *lib.* I.

Sera nimis vita eſt craſtina, viue hodie.
quàm, *Vita eſt ſera nimis craſtina; viue hodie*.
Et in Epigr. XV. *lib.* VI.

Funeribus facta eſt nunc precioſa ſuis.
quàm, *Facta eſt funeribus nunc precioſa ſuis*.

Et in Epigr. L. *lib.* XII. idem verbum, *eſt*, maluit, etiam ſine figura, eo medio lòco ponere, quàm anteponere.

Nec ſomno locus eſt: quàm benè non habitas!
potuiſſet enim ſic dicere:

Nec locus eſt ſomno: quàm bene non habitas!
at ſuauius ſenſit eſſe carmen, *eſt*, poſito eo loco, vbi illa cęſura.

Idem mihi ſenſus eſt: Proinde Diſtichon quoddam ſic potiùs concluſi, licèt cum ſynalœpha.

Hic populis facta eſt aurea ad aſtra via.
quàm ſic, vt quidam amicus meus maluiſſet:

Hic facta eſt populis aurea ad aſtra via.

Nec ſua deeſt Pentrametro ſuauitas, & gratia, ſi in eius initio à monoſyllabo Dactylus incipit, ſequunturque alia monoſyllaba: quale eſt apud Martialem in concluſione Epigr. VIII. *lib.* II.

Hæc mala ſunt: ſed tu non meliora facis.
& apud eumdem in concluſione Epigr. XVIII. *lib.* IV.
Aut vbi mors non eſt, ſi iugulatis aquæ?

Hic verò notandum eſt, crebra monoſyllaba in Pentametris, atque his in Epigrammatum concluſione poſitis, meliùs vſurpari, ibique eſſe gratiora, vt patet allatis Martialis carminibus, omnibus in concluſione collocatis. Namque in Hexametris rara plerumque conſtituenda ſunt Monoſyllaba: quorum tamen finis cum vno, vel duplici Monoſyllabo, non ſine gratia fluit, præcipuè, ſi punctum nullum, aut virgulam nullam admittit: vt patet in hoc Virgilij Epitaphio,

Mantua me genuit: Calabri rapuere; tenet nunc
Parthenope: cecini paſcua, rura, duces.

Vnico etiam Hexametra Monoſyllabo exeũt apud Martialem ſequentia duo, pluribus enim parco. Carmen in Epigr. XXIX. in Amph. Cæſ.

Miſſio ſæpè viris, magno clamore petita eſt.

Carmen in Epigr. LXXXV. *lib.* XI.

Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor i

Duplici autem Monoſyllabo, quæ ſequuntur. Apud eumdem in Epigr. III. *lib.* V.

Sors mea, quàm fratris melior, cui tam propè fas eſt
Cernere, tam longè quem colit ille Deum,

Et in Epigr. XIII. *lib.* V.

Sed toto legor Orbe frequens. & dicitur: hic eſt.

Et in Epigr. LXVII. *lib.* VIII.

Horas quinque puer nondùm tibi nunciat, & tu

Iam

Iam conuiua mihi, Cæciliane, venis.

Et in Epigr. XXI. *lib.* IX.

Felix, quæ tantis ſonuit vagitibus, & quæ
Vidit reptantes, ſuſtinuitq. manus.

Et in Epigr. X. *lib.* X.

Sæpiùs aſſurgam recitanti carmina? tu ſtas.

Et in Epigr. XXXI. *lib.* eiuſdem.

Exclamare libet: non eſt hoc; improbe, non eſt
Piſcis; homo eſt: hominem, Calliodore, voras.

Notandum præterea, ſuauiſsimum eſſe, & harmonicum quodammodo carmen, in quo, poſitis pluribus Monoſyllabis, ita pedes conſtituuntur, vt ipſum carmen potiùs belle ſaltare, quàm incedere videatur: vt in his tribus Martialis, ſuprà etiam poſitis, videtur.

Si dici tua vis, hæc eme, ne mea ſint.
Emi hortos; plus eſt: inſtrue tu; minus eſt.
Nil mihi vobiſcum eſt; iſte liber meus eſt.

& in hoc Diſticho, quo idem Martialis finem imponit Epigrammati XIII. *lib.* V.

Hoc ego, tuq. ſumus; ſed quod ſum, non potes eſſe;
Tu, quod es, è populo quilibet eſſe poteſt.

& in hoc Diſticho meo.

Munde, quid es? mare ſum: quid homo es? piſcis: Meretrix, quid?
Quæ capio piſcem hunc, rete ego fœmina ſum.

Dixi: bellè ſaltare, non autem, claudicare: claudicat verò carmen, præſertim, in quo plura monoſyllaba, niſi recta iunctura obſeruetur: qua recta iunctura

ctura quæ carent carmina, inepta prorſus, inconcinna ſunt, & inſuauia, qualia ſunt, quæ iam ſupra attulimus, Catulli, & quæ mox afferemus Ioannis Ouueni, qui, modò argutè concluderet, congruentem ſonum, debitumque carminis excurſum ſæpe negligens, nulla habita ratione rectæ iuncturæ, multis poſitis monoſyllabis, inepta prorsùs carmina, & abiecta nimis effecit: ex quorum numero ſunt ſequentia; quæ ideò à me afferuntur, vt eorum vitia omninò deuitentur.

Vnum hoc eſt, quod tu non obliuiſceris vnquam.
Nil in te, præter vocem, vitale habet Echo.
Quanta tibi nunc ſit frons dicere non potes; ergo,
Si felix eſt, qui, quæ vult, habet omnia, quare.
Quæ legis hìc ſunt curta Epigrammata, ſunt quoque pauca.
Ingenioſus, at imprudens, eſt abſque cibo ſal.
Tam potabile ſi foret aurum, optabile quam ſit,
Non vitiamur ab his temporibus, ſed in his.
Ingenioſior es quò, Line, peior eò es.
Præter eum num qui ſunt ibi Cauſidici?
Sat tibi, ſi quod non ſunt videantur, habent.

Quibus carminibus, quid inconcinnius? quid inſuauiùs? quid vitioſiùs? quibus plura, inepta, & claudicantia afferre potuiſſem; ſed hæc tantùm hoc loco attuli, in quo de vocibus monoſyllabis actum fuit: in ipſis enim frequentia monoſyllaba reperiuntur.

At, inquiet fortaſſe quiſpiam, Ouuenus imitatus eſt Catul-

Catullum: video; ſed non bene: Catulli enim carmina ſunt minùs inconcinna, minùs aſpera. Sed do bene imitatum fuiſſe; quid verò hoc? ſecutus eſt veſtigia Vatis, in quo, vt inquit Iulius Cæſar Scaliger, *lib.6.Poet.cap.7.multa languida,quorum miſeret, multa coacta, quorum piget*, vt peiora prætermittam, quæ de ipſo idem Scaliger ſcripta reliquit: qui meritò quidem Martialem (ipſius tamen improbatis obſcænis compoſitionibus) honorificè non ſemel nominat, eius verſus candidos, numeroſos, plenos, denique optimos affirmans; vt proinde M. Antonio Mureto, cuius iudicium cæteroquin grauiſsimum eſt, ſecus de Martiale ſentienti, non ego aſſentiar vnà cum doctiſsimis Viris Adriano Turnebo,& Iuſto Lipſio,quorum vtrique, iniquum ipſius de Martiale iudicium prorsùs diſplicet, improbaturque.

Atque hæc de *Narratione* prima Epigrãmatis parte, eiuſque virtutibus, & vitijs dicta ſint.

Idcircò autem potiſsimùm oſtendimus, quanam ratione Hexametris, & Pentametris *Suauitas* comparetur, quia ex ipſis vt plurimùm Epigrammata componuntur.

Si quis tamen aliquid verſibus omnibus communde *Suauitate* deſideret, hoc vnum edocemus, vt optimorum Vatum lectioni,in primiſq. perpoliti,numeroſique Martialis, aſſueſcens,auribus vtatur,*quarum*, vt ait Cicero, *iudicium eſt ſuperbiſſimum*; quæ ſicuti optimè ſentiunt, quid ſit aſperum, & fragoſum, ita quoque, quid lene ſit, ac ſuaue præclarè dijudicant.

Nunc

Nunc quibuſnam *Locis*, & *Modis* ipſa *Narratio* in Epigrammate comparetur, aperiamus.

De Locis, & Modis aliquot, quibus Narratio in Epigrammate comparatur.

CAPVT IV.

EX multis *Locis, Narrationem* in Epigrammate deduci, varijſque *Modis* comparari, multis Epigrammatographorum legendis libellis animaduerti, ac potiſsimùm ex his decem,

Nempè
- I. *Repetitione,*
- II. *Similitudine,*
- III. *Comparatione,*
- IV. *Contrapoſito,*
- V. *Parodia,*
- VI. *Hyperbole,*
- VII. *Allegoria,*
- VIII. *Aenigmate,*
- IX. *Congerie,*
- X. *Deſcriptione,*

Quæ loca nunc multorum Poetarum exemplis illuſtrabuntur, vt, ipſis propoſitis, faciliùs Iuuenes *Narrationis* ritè conficiẽdæ rationem addiſcant, quod etiam præſtabo reliquis capitibus, in quibus de *Argutia*, vt ijdem Iuuenes, argutorum exemplorum copia

copia, faciliùs euadant arguti. Mea etiam Epigrāmata ſubinde inſeram (vt iam ſupra feci) maximè enim conſentaneum videtur eſſe, vt, qui præcepta tradit, proprijs etiā exēplis dilucidet id, quod docet.

LOCVS I.

De Narratione ex Repetitione.

OBſeruaui, ex *Repetitione* Narrationem in Epigrammate multifariam deduci, videlicet

Ex
- *Repetitione principij carminis in principio omnium carminum.*
- *Repetitione principij Hexametri in principio omnium Hexametrorum.*
- *Repetitione eadem, cum Repetitione etiā eiuſdē principij in fine omnium Pentametrorum.*
- *Repetitione diuerſi finis Hexametri in principio omnium Hexametrorum.*
- *Repetitione eiuſdem finis Hexametri, ac poſteà diuerſi, in fine Hexametrorum.*
- *Repetitione principij Pentametri in principio Pentametrorum.*
- *Repetitione finis Pentametri in fine Pentametrorum.*
- *Repetitione diuerſi finis Pentametri in principio Hexametrorum.*
- *Repetitione totius Pentametri.*
- *Repetitione vnius vocis, vel plurium, in diuerſis carminum locis.*

Nar-

Narratio ex Repetitione
Principij carminis in principio omnium carminum,

eſt apud MARTIALEM in Epigr. xxv. *lib.* v.
De HERMETE.

Hermes Martia ſeculi voluptas,
Hermes omnibus eruditus armis.
Hermes, & Gladiator, & Magiſter,
Hermes turba ſui, tremorque ludi,
Hermes, quem timet Aelius, ſed vnum,
Hermes, cui cadit Aduolans, ſed vni,
Hermes vincere, ſed ferire doctus,
Hermes ſuppoſititius ſibi ipſi,
Hermes diuitiæ locariorum,
Hermes cura, laborque ludiarum,
Hermes belligera ſuperbus haſta,
Hermes æquoreo minax tridente,
Hermes caſſide languida timendus,
Hermes gloria Martis vniuerſi,
Hermes omnia ſolus, & ter vnus.

Narratio ex Repetitione
Principij Hexametri in principio omnium
Hexametrorum;

Apud MARTIALEM in Epigr. XL. *lib.* I.
Ad DECIANVM.

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
Quales priſca fides, famaque nouit auos:

Si

Si quis Cecropiæ madidus, Latiæque Mineruæ
Artibus, & vera ſimplicitate bonus.
Si quis erit recti cuſtos, imitator honeſti,
Et nihil arcano qui roget ore Deos.
Si quis erit magnæ ſubnixus robore mentis,
Diſpeream, ſi non hic Decianus erit.

Sic etiam procedit hoc meum Epigramma

De Amatore rerum terrenarum.

Ad SIMONEM à S. BARTHOLOMAEO.
noſtræ Religionis Paup. Matris Dei,
Scholarum Piarum Aſſiſtentem
Generalem.

O quàm ſtultus Amans, Mundano agitatus amore:
Gaudia perſequitur, quæ fugitiua volant.
O quàm ſtultus Amans, fugientibus anxius vmbris!
Huic amor eſt ſtabili non in honore, Simon,
O quàm ſtultus Amans, ima, infima, vilia quærens!
Hunc terram Cælo præpoſuiſſe iuuat.

Narratio ex Repetitione eadem,
cum Repetitione etiam eiuſdem principij in fine
omnium Pentametrorum,

Apud MARTIALEM in Epigr. xcix. *lib.* ix.
Ad IVLIVM.

Rum-

Rumpitur inuidia quidam, chariſſime Iuli,
Quòd me Roma legit, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd turba ſemper in omni
Monſtramur digito; rumpitur inuidia:
Rumpitur inuidia, tribuit quòd Cæſar vterque
Ius mihi natorum, rumpitur inuidia;
Rũpitur inuidia, quòd rus mihi dulce ſub vrbe eſt,
Paruaque in Vrbe domus; rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd ſum iucundus amicis,
Quòd conuiua frequens, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd amamur quòdq. probamur,
Rumpatur, quiſquis rumpitur inuidia.

Et apud inſignem Vatem EMMANVELEM THESAVRVM, in Epigr.

De S. IGNATIO ANTIOCHENO
iacenſo charitatis ardore.

Ignis erat, dabat ore rogos, dabat ore fauillas:
Frigora depulerat mentibus, ignis erat.
Ignis erat, quamuis liquidis equitaret in vndis,
Demerſuſq. freto creſceret, ignis erat.
Ignis erat; fugit obiectum Leo territus ignem,
Quem tetigiſſe negat dentibus, ignis erat,
Ignis erat, tandemq. feras accendit in ignem:
Puluere in exiguo deſijt, ignis erat,

Et

Et apud OCTAVIVM TRONSARELLVM, in Epigr. cuius lemma,

Omnia caduca.

Occidit omne decus; Lacedæmonis Arce paleſtræ
Fractæ in ſe recubant; occidit omne decus.
Occidit omne decus; ſtabili iacuere ſepulcro
Ogygiæ Turres; occidit omne decus.
Occidit omne decus; ſummo Rhodos aurea Phœbo
Obruitur dumis; occidit omne decus.
Occidit omne decus; claræ viguere Mycenæ,
At nunc caligant; occidit omne decus.

Eádem *Repetitio* eſt in hoc meo Epigram. in ea verba S. PAVLI.

Viuo autem, iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.

Viuo ego, non ego iam: mors eſt mihi viuere terris;
Vita mihi eſt Chriſtus: viuo ego, non ego iam.
Viuo ego, non ego iam: ſum Paulus; Saulus at olim:
Non ſum, qui fueram: viuo ego, non ego iam.
Viuo ego, non ego iàm: vita hæc, haud vita perennĕ
Optanti vitam: viuo ego, non ego iam.
Viuo ego, non ego iam: nam quæ mihi vita retento
Mortali vita? viuo ego, non ego iam.

Apud eumdem MARTIALEM in Epigram. XCIX. *lib.* VII. eadem eſt *Repetitio* principij Hexametri in principio aliorum Hexametrorum; ſed in Pentame-

tris eſt iuxta finem; in fine autem diuerſa eſt.

AD PONTICVM.

Pontice, per reges diſcurris, & omnia luſtras:
Magna quidem ſequeris, Pontice, magnus homo es.
Pontice, ſi qua facis, ſine teſte facis, ſine turba:
Non adhibes multos; Pontice, cautus homo es.
Pontice, te celebrem formâ natura creauit:
Dignus eras Helena; Pontice, pulcher homo es.
Pontice voce tua poſſes adamanta mouere:
Vox tua dulce ſonat; Pontice, dulcis homo es.
Pontice, ſic alios, ſic te quoque decipit error:
Vis, dicam verum? Pontice, nullus homo es.

Narratio ex Repetitione
diuerſi finis Hexametri in principio omnium
Hexametrorum.

Eſt apud AVSONIVM GALLVM, cum vocibus monoſyllabis.

Res hominum fragiles alit, & regit, & perimit ſors.
Fors dubia, æternumq labans, quam blanda fouet ſpes,
Spes nullo finita æuo, cui terminus eſt mors,
Mors auida, inferna mergit caligine quam nox,
Nox obitura vicem, remeauerit aurea quum lux,
Lux dono conceſſa Deûm, cui prænius eſt Sol,
Sol, cui nec furto Veneris latet armipotens Mars,
Mars nullo de patre ſatus, quem Threſſa colit gens,
Gens infrena virûm, quibus in ſcelus omne ruit fas.

Fas

Fas hominem mactare ſacris ferus iſte loci mos.]
Mos ferus audacis populi, quem nulla tenet lex,
Lex, naturali quam condidit imperio ius,
Ius genitum pietate hominum, ius certa Dei mens,
Mens, quæ cæleſti ſenſu rigat emeritum cor.
Cor vegetum mundi inſtar habens, animæ vigor, ac vis.
Vis tamen hìc nulla eſt: verùm eſt iocus, & nihili res.

Sentis, Lector, quàm placidè influant in aures ſuperiora carmina, licèt cum vocibus monoſyllabis? præſertim vltimum, quamuis in eo plurima ſint monoſyllaba? oritur id nimirum ex apta pedum conſtitutione, & iunctura. Obſerua igitur, & imitare, ne ipſis abutens, ridiculus ſis: atque ea lege, quæ de monoſyllabis ſcripſimus Capite ſuperiore.

Narratio ex Repetitione einſdem finis Hexametri, ac poſteà diuerſe in fine Hexametrorum.

Apud MARTIALEM in Epigr. IX. *lib.* VII.
IN OLVM.

Altercatur Oros, ſpoliat Linus: Ole, quid ad te,
De cute quid faciat ille, vel ille ſua?
Centenis ludit Matho millibus: Ole, quid ad te?
Non tu propterea, ſed Matho pauper erit.
In lucem cænat Sertorius: Ole, quid ad te?
Cum liceat tota ſtertere nocte tibi?

Septingenta Tito debet Lupus: Ole, quid ad te?
Aſſem ne dederis, crediderisuè Lupo.
Illud diſſimulas, ad te, quod pertinet, Ole,
Quodque magis curæ conuenit eſſe tuæ.
Pro togula debes: hoc ad te pertinet, Ole:
Quadrantem nemo iam tibi credet: & hoc.
Vxor praua tibi eſt: hoc ad te pertinet, Ole:
Poſcit iam dotem filia grandis: & hoc.
Dicere quindecies poteram, Quid pertinet ad te.
Sed, quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

Narratio ex Repetitione principij Pentametri in principio Pentametrorum.

Apud MARTIALEM in Epigr. XXIII. *lib.* IX.
AD PASTOREM.

Credis ob hoc, me, Paſtor, opes fortaſſe rogare,
Propter quod vulgus, craſſaque turba rogat:
Vt ſetina meos conſumat gleba ligones,
Et ſonet innumera compede Tuſcus ager.
Vt Mauri Libycis centum ſtent dentibus orbes,
Et crepet in noſtris aurea lamna toris:
Nec labris niſi magna meis cryſtalla terantur,
Et faciant nigras noſtra falerna niues:
Vt canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet,
Et mea ſit culto ſella cliente frequens:
Vt lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Maſſyleum virga gubernet equum.

Eſt

Eſt nihil ex iſtis: Superos, ac Sidera teſtor.
Ergo quid? vt donem, Paſtor, & ædificem.

Narratio ex Repetitione
finis Pentrametri in fine Pentametrorum.

Apud MARTIALEM in Epigr. XVIII. *lib.* II.
IN MAXIMVM.

Capto tuam, pudet, heu, ſed capto Maxime, cœnam:
Tu captas aliam: iam ſumus ergo pares.
Mane ſalutatum venio; tu diceris iſſe
Ante ſalutatum: iam ſumus ergo pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidique anteambulo regis;
Tu comes alterius: iam ſumus ergo pares.
Eſſe ſat eſt ſeruum: iam nolo vicarius eſſe:
Qui rex eſt, regem, Maxime, non habeat.

Hac etiam *Repetitione* vſus eſt LAVRENTIVS à S. XYSTO, Capharonienſis, noſtræ Religionis, in Epigr. in hæc verba: *Vale, ò valde decora.*

Inclyta progenies antiquo è germine Regum
Orta, decus Patrum, Virgo decora, vale.
Gloria Virginei cœtus, honor vnicus Orbis,
Cœlituum ſplendor, Virgo decora, vale.
Virgo vale, nullo prorſus maculata reatu,
Moribus Angelicis, Virgo decora, vale.
Iuſtitiæ ſpeculum, vera probitatis imago,

Normaque virtutum, Virgo decora, vale.
Altera lux mundi, pariens Aurora ſupernum
Iuſtitiæ Solem, Virgo decora, vale.

Hæc eadem *Repetitio* cernitur in hoc meo Epigrammate; quæ *Repetitio* conſtat ex his duobus vocabulis, ROMA PETRI, à me per purum *Anagramma* textis, ex litteris ſequentis vocabuli, IMPERATOR.

De nece D. PETRI Apoſtoli
AD NERONEM IMP.

Non tua; Roma Petri, Nero barbare, quem cruce mactas.
Hoſtis tu Romæ: non tua; Roma Petri.
Hoſtis tu Romæ, Pater hic: pia dogmata pandens
Hanc genuit Cælo: non tua; Roma Petri.
Quid tibi nex Petri prodeſt, Nero? clamat honoris
Ecce tui nomen nunc quoque: Roma Petri.

Et in hoc altero *Epigr.* ad PETRVM ab ANNVNCIATIONE Brixienſem, meum olim Præceptorem.
De maxima hominis ſtoliditate.

Quid non in terris homini dat nuncia mortis?
Exclamant paſſim cuncta: memento mori.
Templa operoſa iacent: fortiſſima quæque procumbunt.
Rudera & exclamant ipſa: memento mori.

Ipſi

Ipſi etiam laceri ornatus, domus ipſa dehiſcens,
Quo datur, exclamant ore: memento mori.
Sulcati vultus, febres validæque, malorum
Plurima & exclamat turba: memento mori.
Vſque manus, quibus eſt ſita littera mortis, aperta
Omnibus exclamant, Petre: memento mori.
Atque horis vitæ reſonant dum concaua lapſis
Altiùs exclamant æra: memento mori.
Et tibi, nate, parens; ſponſus tibi, mortis agoni
Proximus exclamat, Sponſa: memento mori.
Maiorique minor fata vltima nunciat æger,
Parque pari: exclamant cuncta: memento mori.
Sic tamen exclament homini licèt omnia, trunco,
Vel ſaxo aſſimilis, percipit ille nihil.

Narratio ex Repetitione
diuerſi finis Pentametri
In principio Hexametrorum.

Pulcherrima eſt hæc *Repetitio* apud egregium vatem. OCTAVIVM BOLDONIVM ex Cler. Reg. S. Pauli, poſteà Epiſcopum, in ſequenti Ep.

De D. ALEXIO fugiente.

Euphemianus pater queritur.

Flete meos caſus, nati deflete parentes.
Incaſſum viuo: ſpes abiere meæ.

Spes abiere mea: creſcunt, mærorqne, dolorque:
Quid mihi, me miſerum, quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait: iam tollitc fata parentem:
Lux fugit infelix: ſpes mea ſola fugit.
Spes mea ſola fugit. Patrem cur linquis, Alexi?
Dent mihi fata citam, te fugiente, fugam.

Narratio ex Repetitione totius Pentametri.

Apud MARTIALEM in Epigram. xci. *lib.* vii.

IN BACCHARAM.

Si quid opus fuerit, ſcis me non eſſe rogandum,
Bis nobis dicis, Bacchara, terque die.
Appellat rigida triſtis me voce Secundus;
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Penſio te coram petitur, clarèque, palamque:
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Eſſe queror, gelidaſque mihi, triſteſque lacernas:
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Hoc opus eſt, ſubito fias vt ſidere mutus,
Dicere ne poſſis, Bacchara, quid ſit opus.

Narratio ex Repetitione.
vnius vocis, vel plurium in diuerſis carminum locis.

Apud MARTIALEM in Epigr. Lxxx. *lib.* I.
AD ATTALVM

Semper agis cauſſas, & res agis, Attale, ſemper:
Eſt, non eſt, quod agas, Attale, ſemper agis.
Si res, & cauſſæ deſunt, agis, Attale, mulas.
Attale, ne quod agas deſit, agas animam.

In quo Epigrammate, licèt breuiſsimo, ter poſitũ aduerbium, *ſemper*, ſepties verbum, *ago*, bis, nomina, *cauſſæ*, & *res*; quater nomen, *Attalus*, bis verbum, *ſum*. in ipſo quoque iteratur couiunctio, &, & nomen, *quod*, & verbum *deſum*. Quorum omnium repetitione venuſtiſsimum euaſit Epigramma.

Et apud eumdem in Epigr. VII. *lib.* II.
In eumdem ATTALVM.

Declamas bellè: cauſſas agis, Attale, bellè;
Hiſtorias, bellas, carmina bella facis.
Componis bellè mimos, Epigrammata bellè:
Bellus grammaticus, bellus es Aſtrologus.
Et bellè cantas, & ſaltas, Attale, bellè;
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cum facias, facis attamen omnia bellè:
Vis, dicam, quid ſis? magnus es ardelio.

Et

Et apud me in Epigr.
in laudem CLEMENTIS IX. Pont. Max.

Qui factis clemens, nunc eſt quoque nomine Clemens:
Quàm bene Clementis, quàm bene nomen habet.
Clementem ſemper clementia facta probarunt:
Clementis nomen, cui pia facta, decet.

Et in duobus quoque meis ſequentibus.
Amans eſt amens.

Cum ſit Amans amens, Amentem dicito Amantem.
Aptiùs Amentis voce notatur Amans.

Opto, & poto.

Opto parit poto, præeat ſi littera: poto
Opto parit, pariter littera ſi præeat.
Sic quoque præpoſito generoſi munere Bacchi
Optans, & potans, potat, & optat adhuc.

LOCVS II.

Narratio ex Similitudine

Apud MARTIALEM in Epigr. LIV. *lib.* 1.
AD FIDENTINVM.

Vna eſt in noſtris tua, Fidentine, libellis,
Pagina, ſed certa domini ſignata figura;

Quæ

Quæ tua traducit manifeſto carmina furto.
Sic interpoſitus vitio contaminat vncto
Vrbica Lingonicus Tyrianthia bardocucullus:
Sic Aretinæ violant cryſtallina teſtæ;
Sic niger, in ripis errat cum forte Cayſtri,
Inter Ledæos ridetur coruus olores:
Sic, vbi multiſona feruet ſacer Atthide lucus,
Improba Cecropias effundit pica querelas.
Iudice non opus eſt noſtris, nec vindice libris:
Stat contra, dicitque tibi tua pagina: fur es.

Et apud eumdem in Epigr. LXXIII. *lib. eiuſd.*
Ad eumdem FIDENTINVM.

Noſtris verſibus eſſe te poetam,
Fidentine, putas, cupiſque credi?
Sic dentata ſibi videtur AEgle,
Emptis oſſibus, Indicoque cornu:
Sic, quæ nigrior eſt cadente moro,
Ceruſſata ſibi placet Lycoris.
Hac & tu ratione, qua Poeta es,
Caluus cum fueris, eris comatus.

Et apud GVILIELMVM BLANCVM Albienſem I.C. in Epigr. De Roma.

Vnus vt eſt Phœnix, longæ poſt tempore vitæ
Qui rapido incenſus ſolis ab igne perit.
Et cinere è proprio ſeſe ipſe reſeminat ales

Atque illi è tumulo vita renata redit;
Vnica ſic Roma eſt, longos quæ firma per annos
Incenſa hoſtili ſæpius igne fuit.
Illa, ſed è propriys fuit inſtaurata ruinis,
Atque è ruderibus poſt reparata fuit.

Eadem viſus eſt *ſimilitudine* IANVS CASPERIVS GEVARTIVS, Antuerpienſis in Epigr.
In honorem FRANCISCI SVVERTII Antuerpienſis, monumentorum, ac inſcriptionum editoris.

Fama eſt, è proprio Phœnicem ſurgere buſto,
Atque iterum naſci parturiente rogo.
Sic quoque dum tumulos, venerandaq. buſta recenſet
Suuertius, & medys eripit è tenebris,
Nominis æterna victurus laude, parauit
Immortale ſibi, perpetuumq. decus.
Voſq. nouum meritò Phœnicem hunc dicite Belgæ,
Cui venit è tumulis non miriturus honos.

Et apud elegantiſſimum, & venuſtiſsimum Vatem AVRELIVM VRSIVM, in Epigrammate
In obitum IO. BAPTISTAE MAINI.

Quid te, Maine puer, toto Sol vidit in Orbe
Pulchrius? ah, quid nunc triſtius orbe videt?
Talis eras, roſeo qualis Venus aurea nimbo
Prodit, & Eoo mane reuecta dies.

Aut

Aut vbi virgineus ridet pudor, aut vbi vernant
Candida purpureo lilia tincta croco.
Arriſit mirata decus Cytherea: ſed, eheu,
Quàm breue! nunc optat, te moriente, mori.

Et apud IO. BATISTAM BARGIOCCHVM, Societatis Ieſu, in Epigrammate, in quo Sedens ad ripas fluminis, vitam ſuam illi ſimilem eſſe dicit.

O tibi quàm ſimilis vitrei ſum fluminis vnda!
Tu reſonas lento murmure; at ipſe gemo.
Sæpiùs elato ſuperas tu gurgite ripas;
Sæpè mihi lacrymis ora, ſinuſq. tument.
Lucida lympha tibi ſumma eſt, cœnoſa, ſed ima:
Et mea ſi rident ora, cor vſque gemit.
Tu mutos piſces limoſo claudis in alueo:
Sed tacitas curas & mea corda fouent.
In gelido muſcoſa ſinu tu ſaxa recondis:
Mille meum pectus ſaxa doloris habet.
Ceu tu decliui ſemper petis æquora curſu:
Ad mare lethæum ſic mea vita fugit.
Te recipit gremio pontus ſine fine fluentem:
Me tandem excipiet terra benigna ſinu.

Et apud me in Epigrammate

De Cruce Chriſti.

In tumido ceu cymba mari, ſpumantibus vndis,
Quas fera ventorum flamina ad aſtra ferunt,

Remis

Remis frangit aquas, pelagique pericula ridens;
Optati portus littora fida petit;
Sic homo, cymba velut, tumido mundi æquore, Cœli,
Cum cruce, ceu remis, littora tutus adit.

Et in hoc altero ad meum olim Auditorem FRANCISCVM DE AGRATIS, ex Ordine Fratrum Prædicatorum,

De hominibus, non virtutes ſpectantibus, ſed vitia ſolùm intuentibus, & exprobrantibus.

Fulgentes radios, nitidiſſima lumina fundit
Phœbus, & immodico cuncta nitore beat.
Quot tamen, ò Franciſce, oculos attollere cernis?
Tam pulchram ſpeciem cernere rarus amat.
Denigrat eclipſis quòd ſi caligine Phœbum,
Quiſque oculos centum, ceu vigil Argus, habet.
Sic laudant rari virtutum luce nitentem;
Si quo nigreſcat crimine, quiſque notat.

Delectant valdè ſuperiora Epigrammata per *Similitudinem*, ſed magis delectant ea, ac magis ingenioſa ſunt, in quibus *verba verbis ex ſimilitudine conferuntur*; cuius generis eſt Epigramma TITI STROZAE,

AD ANTONIVM.

Accipe inauditi formam maris, & mea quali
Cymba ſit, Antoni, ſtructa magiſterio.

Vi-

Vnda hic ſunt lacrymæ, venti ſuſpiria, remi
Vota, error velum, mens malè ſana ratis,
Spes temo, curæ comites, conſtantia amoris.
Eſt malus, dolor eſt anchora, nauita amor.
Adde, quòd eſt portus reliquis maribus: mare noſtrum
Non tantùm portu, ſed ſtatione caret.

Et Diſtichon IOANNIS OVVENI, quo deſcribitur Sagittarius cæleſtis.

Certa ſagitta fides, neruus tibi ſpes, amor arcus;
Sitque tibi Cælum meta, ſcopuſque Deus.

Huc refertur Epigramma, quod ingeniosè compoſuit Diſcipulus olim meus IOSEPH à CONCEPTIONE B. V. Romanus ex noſtra Religione,
De B. VIRGINIS Aſſumptione.
In illa Salomonis verba: Facta eſt quaſi nauis.

I, Virgo, i Nauis: tandem ſolatia portus
Excipe: vade; Polo pace fruare tua.
Oceanus tumeat mundus, bacchentur Auerni
AEolides; latret Scylla, Charybdis hiet.
Tu tibi Nauis ades: vigilat nauclerus in hoſtes
Cor: regit alma fides temo, rudenſque preces.
Remige pro valido cordis ſuſpiria certant,
Vrna Polus tutum nautica monſtrat iter.
Malus amor, mens vela, ſecat conſtantia roſtrum,
Anchora ſpes animat, votaque remus agunt.

Accelerant curſum venti firmata voluntas,
Ac patiens animus ſaxa retundit aquis.
Puppis eat victrix; ſuperi dent ſertaque Naui,
Inſtabiles quoniam firma retundit aquas.
Annuit Omnipotens. Cœleſtes attigit oras:
Sic Naui placidus portus Olympus adeſt.

Huc referuntur etiam mea duo, quæ ſequuntur Epigrammata.

In Inſigne Academiæ Variorum Romanæ,
In progreſſum ſtudioſæ Iuuentutis à me erectæ,
in quo Iris:

Sole, & Nube oritur, quæ ſtemmate cernitur Iris:
Sole Deum, Mariam noſcere Nube potes.
Iris es, ò Iuuenis, Sole hoc, hac nube colores
Mille trahens Sophiæ: tu, velut Iris ades.
Felix: ficta tibi non Muſa, aut fictus Apollo
Carmina dat: Maria eſt Muſa, & Apollo Deus.

Ad mœſtos quoſdam Librarios
triremis pœna mulctatos, quòd vetita ſcripſerint.

Improba vos meritò tradit ſcriptura triremi:
Nunc meritò pœnas improba dextra luit.
Ferte tamen læti: vobis, calamuſque, liquorque:
Fit calamus, remus: fit liquor, humor aquæ.
Charta, mare eſt amplum: metus abſit: ſcribite tuti:
Exagitata legi non ſinet vnda notas.

LOCVS

LOCVS III.

Narratio ex Comparatione.

Apud MARTIALEM in Epigr. VII. *lib.*I.
De Leone Cæſaris.

Aethereas Aquila puerum portante per auras,
Illæſum timidis vnguibus hæſit onus.
Nunc ſua Cæſareos exorat præda Leones,
Tutus & ingenti ludit in ore lepus,
Quæ maiora putas miracula? Summus vtrique
Auctor adeſt: hæc ſunt Cæſaris, illa Iouis.

Idem MARTIALIS in Epigr. LXXIX. *lib.*X. vtitur *Narratione* per *Comparationem*, ſed ridiculam, & ineptam, vt illudat OTACILIO.

DE TORQVATO, & OTACILIO.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breue rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Extruxit: cucumam fecit Otacilius.
Diſpoſuit Daphnona ſuo Torquatus in agro:
Caſtaneas centum ſeuit Otacilius;
Conſul Torquatus: vici fuit ille Magiſter,
Nec minor in tanto viſus honore ſibi.
Grandis vt exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic, puto, Torquatus rumpet Otacilium.

Narratio per Comparationem

Eſt etiam apud politiſsimum Vatem HIPPOLYTVM CAPILVPVM Epiſcopum Fanenſem.

In Epitaphio FERRANDI Gonzagæ.

Mantua Virgilij claro ſe nomine iactat,
Ferrandique ſimul laude ſuperba ſui eſt.
Illi fronde ſua deuinxit tempora Phœbus,
Huic cinxit proprio Mars ferus enſe latus.
Ille animi morbos cythara procul ire coegit,
Inque fugam curas, carminis arte, dedit.
Hic dextra hoſtiles diſiecit ſæpè phalanges,
Atque noua belli reppulit arte Duces.

Et in Epigrammate, quod ego in laudem

SOCIETATIS IESV

compoſui cauſa ſubſequentis Anagrammatis, à me deducti ex duabus his vocibus,

SOCIETAS IESV.

Anagramma purum.

CEV IOSIAS EST.

IOSIAS autem reſonat, Ignis DOMINI.

Paulum Ioſiæ, Præſul bene comparat, aureo
Largitor ſummus cui dedit ore loqui.

Igne

Igne ſacro hic ardens, indignas diruit aras,
Et ſtatuit vero debita vota Deo.
Compreſſitque malos mores, rectoſque reduxit;
Sic quoque Tarſites feruidus igne Dei.
Ioſiæ ac ſimilis, quem ſacro Ignatius igne
Inflammat, dici nobilis Ordo poteſt.
Hoc igne incenſus, quæ non mala depulit Orbe?
Quæ bona non Orbi cœlica reſtituit?
Ioſiæ ſimilis, ſemper cæleſtibus ardet
Flammis, vt Domini gloria maior ouet:
Ignatj, ceu Ioſias eſt *nobilis Ordo*:
Igne ſacro flagrans, ignis hic eſt Domini.

Et *in* hoc quoque meo Epigrammate,
ad COSMVM à IESV MARIA, Panormitanum,
noſtræ Religionis Præpoſitum Generalem IV.
IOANNI à IESV MARIA, Segouienſi,
Præpoſito Generali II.
Perſimilem facie, ſtatura, charactere, moribus,
& probitate.

Præpoſiti os noſtri Generalis, Coſme, ſecundi,
Et grauis, & placidus tu ſatis, ore, refers.
Nec tantùm facies; ſtatura, idemq. character
Illi perſimilem te quoque, Coſme facit.
Quodq. illuſtre magis, magis & memorabile, eũdem
Moribus aſſimilas, ac pietate ſenem.
Vna ætate minor, differs: ſeptena peregit
Luſtra bis ille, tibi luſtra peracta decem.

Coſme, tamen quiſquis tua plurima facta receſet,
Longæuum pariter te putat eſſe ſenem.

LOCVS IV.

Narratio ex Contrapoſito.

Contrapoſitum, Græcè, *Antitheton*, eſt, cum contraria ſuperioribus opponuntur, vel quaſi contraria: Hoc autem tum in verbis eſt, tum in Sententijs, vt ſequentibus patebit exemplis.

Per *Contrapoſitum* procedit Apud MARTIALEM Epigr. xLvii. *lib.* xii. in habentem varios mores.

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem:
Nec tecum poſſum viuere, nec ſine te.

Et apud PICTORIVM Epigramma
DE CHRISTO CRVCIFIXO.

Me lege, quiſquis ades, ſi qua eſt tibi cura ſalutis;
Si tua diuinus pectora tangit amor.
Ecce Cruci affixum, quo cuncta mouente mouentur;
Cuius cuncta bibunt fontibus, ecce ſitit.
Qui fabricat brutis, auibuſque ſedilia, pendens,
Nil, ſua quo ceruix ſuſtineatur, habet.
Eſt nudus largitor opum; ſpecioſior aſtris
Liuet; & eſt iuſtus victima pro ſcelere.

Qui

Qui dat ſceptra, gerit de ſentibus, ecce, coronam:
Latrones inter gloria ſumma probro eſt:
Quique refrigerium eſt, ipſe eſt ſolaminis expers;
Et vitæ dominus mortuus ipſe iacet.
Hæc dixiſſe velim; ſed tu memor eſto, tot, atque
Tanta, tua cauſſa ſuſtinùiſſe Deum.

Ac de eodem CHRISTO Cruci affixo Epigramma meum, in quo homo ad eum conuerſus ſic loquitur.

Cui tua ſumma, Deus, pietas non laude perennet?
Totus amòr, Deus, es, Deus, es clementia totus;
Nonne ego dignus eram cædis, qui crimine multo
Te læſi inſontem, immerita qui cæde peremi?
Tu tamen, ora licèt vexarim felle, & aceto
Impius; extendi quamquam atrox brachia, palmas
Affigens, clauiſque pedes in ſtipite fixi,
Atque oculos tandem obtexi lethalibus vmbris;
Tu tamen (ò pietas! video, agnoſcoque, proboque)
Occluſis oculis meliùs me reſpicis, atque
Affixis pedibus, properas velociùs ad me;
Meque mage adſtringis, tibi dum mage brachia paſſa,
Languidaque ora gerens, ardentiùs oſcula iungis.

Vide quoque de CHRISTO CRVCIFIXO præclarum Epigramma THOMAE PORCACII, quod affero *CAP.* VI. *LOCO* IX. *Ex Enumeratione Nominum præpoſitorum.*

Venuſta eſt etiam ex hoc loco deducta *Narratio* à IOVIANO PONTANO, à quo ſic loquens inducitur homo mendicus iam tumulatus.

Nulla mihi viuo domus, at nunc certa ſepulto eſt:
Vitaq. paupertas, mors mihi diuitiæ.
Vita mihi exilium, requies at certa ſepulcrum.
Nudus eram viuus, mortuus ipſe tegor.

Et à CAROLO BOVIO Soc. Ieſu, qui ſic loquentem induxit S. IGNATIVM LOYOLAM, cæleſtibus perfuſum delicijs, dum ſacra Palæſtinæ loca perluſtraret.

O mihi amara nimis, nimiùm quoque dulcis Idume,
Quæ triſti è Domini funere mella liquas.
Mella ſed hæc mortem dura hac in morte propinant;
Inde fruens patior, & patiendo fruor:
Dulcedo fit amara mihi, fit dulcis amaror,
Et mihi amaror amans vt ſit amarus amo.
Sed mihi amara iubes, Ieſu, hæc dulceſcere: amoris
Factus enim dulci eſt ſyncope amaror amor.

Ex Contrapoſito procedit quoque hoc meum Epigramma

Ad

Ad ſtultam Iuuentutem.
pulchritudinis, cultuſque corporis amantem,
non animæ.

Heu, nimis infelix, iuueniſq. inſane, decorem,
Cui tantùm vili corpore ineſſe placet.
Quid iuuat ornata, nitidaq. incedere veſte?
Quiduè iuuat formæ quærere munditiem?
Quid iuuat & nimio ſtudio componere crines?
Spargere quid Tyrio corpus odore iuuat?
Ecce tuæ eſt animæ, pulchræ virtutis amictus
Nullus, mundities nulla, nec vllus odor.
Nuda, lutoſa iacet, ſcelerumq. immunda Mephitim
Exhalat, fœdam tu tamen eſſe ſinis.
Quid querar hic vltra? mundus tibi calceus vt ſit
Curas, cura animæ non tamen vlla tuæ.
Infelix iterum nimis, inſanuſque vocandus:
En tibi præfertur calceus vſque animæ.

Si huius generis alia, Lector, exempla deſideras, vide infra, Loco VIII. vbi agitur de *Aenigmate*, quod ex *Contrario* eſt maximè ingenioſum.

LOCVS V.

Narratio ex Parodia.

Hæc vox Græca, *Parodia*, à Latinis dicitur *Imitatio*; eaque fit, cum alicuius Poetæ breue aliquod di-

ctum,vel integra compoſitio,in diuerſum ſenſum, aut etiam contrarium, paucis paululùm immutatis, ingenioſè transfertur.

Exemplum breuis dicti per *Parodiam* immutati, eſt apud MARTIALEM in Epigrammate infra poſito Cap. v. inter Epigrammata ex *Contrario* concluſa: nam carmen hoc OVIDII(vt ipſe putàt) ponitq. in illius Epigram. initio.

Ride, ſi ſapis, ò puella, ride
ita conuerſum in concluſione conſtituit:
Plora, ſi ſapis, ò puella, plora.

Iucundiſsima ſunt Diſticha, per *Parodiam* inuerſa, quæ in ſua *Metametrica* ponit Præſul mei amantiſſimus, IOANNES CARAMVEL, qui ſapientiſſimus Senex, Poeticis interdum compoſitionibus, grauioribus ſtudijs defeſſus leuare ſe ſolet; quorum hoc vnum clauſum inuerſo ſolùm verbo ſequentis carminis OVIDII.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.
Parodia.
Naufragium ſubeant alij, te vina repoſcunt;
Res eſt ſolliciti plena timoris aqua.

Sed vſitatior eſt *Parodia*, mihique magis arridet,quę procedit tota per ſe, nullis alijs præpoſitis, aut poſtpoſitis carminibus; qualis eſt in ſequentibus diſtichis, quæ ibidem leguntur.

EN-

ENNIVS.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Parodia.

Vnus homo nobis potando deſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutes.

OVIDIVS.

Omnia ſi pereant, famam ſeruare memento,
Qua ſemel amiſſa, poſtea nudus eris.

Parodia.

Omnia ſi pereant, vinum ſeruare memento,
Quo ſemel effuſo, poſtea ſiccus eris.

Idem OVIDIVS.

Dum fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Parodia.

Copia dum fuerit vini, numerabis amicos:
Si non ſit vini copia, ſolus eris.

Talis

Talis eſt etiam *Parodia* HENRICI STEPHANI ad ſequentes verſus CATVLLI.

De morte Paſſeris.

Lugete, ò Veneres, Cupidineſque,
Et quantum eſt hominum venuſtiorum:
Paſſer mortuus eſt meæ puellæ,
Quem plus illa oculis ſuis amabat.
Nam mellitus erat, ſuamque norat
Ipſam tam bene, quàm puella matrem:
Nec ſe ſe à gremio illius mouebat,
Sed circumſiliens modò hùc, modò illùc,
Ad ſolam Dominam vſque pippiebat.
Qui nunc it per iter tenebricoſum,
Illùc, vnde negant redire quemquam.
At vobis malè ſit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bellà deuoratis;
Tam bellum mihi Paſſerem abſtuliſtis.
O factum malè, ò miſelle Paſſer:
Tua nunc operà, meæ Puellæ,
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Parodia

HENRICI STEPHANI.

De morte ebrioſiſsimi Iuuenis.

Lugete, ò calices, cupedineſque,
Et quantum eſt hominum bibaciorum:

Veſter

Veſter mortuus eſt ſodalis ille,
Quem plus quiſque oculis ſuis amabat.
Nam Rex veſter erat, ſuumque norat
Bacchum tàm bene, quàm puella matrem:
Nec ſe ſe à Bromio ſuo mouebat,
Sed circumſpiciens, modò hùc, modò illùc,
Ad ſola illius arma geſtiebat.
Qui nunc it per iter ſiticuloſum,
Illùc, vina negant vbi videri.
At vobis bene ſit, bonæ tenebræ
Orci, quæ hæc citò monſtra deuoratis.
Tam fœdum barathrum meri abſtuliſtis.
O factum bene, ò bonæ tenebræ:
Veſtra nunc opera improbo biboni
Vini pernicie haud rubent ocelli.

Ac talis eſt *Parodia* IO. ALOYSII CERCHIARII, ad MARTIALIS Epigram. IV. *lib.* I. quo ſic affatur Librum ſuum.

Argiletanas mauis habitare tabernas:
Cum tibi, parue liber, ſcrinia noſtra vacent.
Neſcis, heu, neſcis dominæ faſtidia Romæ:
Crede mihi, nimiùm Martia turba ſapit.
Maiores nuſquam ronchi: iuueneſque, ſeneſque,
Et pueri naſum Rhinocerotis habent.
Audieris cum grande Sophos, dum baſia captas,
Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago.
Sed tu, ne toties domini patiare lituras,
Nène notet luſus triſtis arundo tuos,

Aethe-

Aetherias, incaute, cupis volitare per auras:
I, fuge; ſed poteras tutior eſſe domi.

Hoc Epigramma CERCHIARIVS per *Parodiam* ita vertit, Patrem cum Filio Prodigo ſic loquentem inducens.

Immundas, fili, mauis habitare tabernas,
Cum tibi, cum ſeruis atria noſtra vacent.
Neſcis, heu, neſcis peregrinæ incommoda vitæ:
Crede mihi, nimiùm membra fatigat iter.
Cum varias tandem mundi percurreris oras,
Solus, laſſus, inops, patria tecta petes.
Sed tu, ne toties vocem patiare monentis,
Neuè notet luſus virga paterna tuos,
Longinquas, incaute, cupis volitare per vrbes:
I, fuge, ſed poteras tutior eſſe domi.

Per *Parodiam* etiam, IOSEPH à IESV MARIA noſtrę Religionis, Lucenſis, meus quondam Diſcipulus, cuius mihi in carmine gratia, & acumen non parum arridet, iuuenis maximæ expectationis, hoc MARTIALIS Epigram. VIII. *lib.* in Amph. Cæſ.

DE DAEDALO.

Dædale, Lucano cum ſic lacereris ab vrſo,
Quàm cuperes pennas nunc habuiſſe tuas.

Sic

Sic bellè inuertit ad ICARVM.

Icare, cæruleis cum ſic rapiaris ab vndis,
Quàm cuperes pennas non habuiſſe tuas.

Ipſe non ſemel vſus fui *Parodia*, vt in Epigrammate ſubſequenti, quo reſpondi ad hoc IANI NICII ERYTHRAEI Epigr.

Tollere ſublimem quid me conaris ad aſtra,
Quem fama exiguum, ſerpere cernis humi?
At dedit ipſe quidem tibi carminis auctor Apollo
Inclyta Magnorum pangere facta virùm.
Grandia ſume igitur, paruis, lenibuſq. relictis:
Ille tuas vires, ingeniumque decent,

Ita enim ipſum conuerti, eius verbis maximè inhærens.

Tollere ſublimem quid te non coner ad aſtra,
Qui, fama eximius, ſerpere ſpernis humi?
Nam dedit ipſe tibi Romani Tullius author
Eloquij, mirè promere facta virùm.
Grandem fama igitur te tollere ad aſtra relinquam?
Iſta tuas vires, ingeniumque decent.

LOCVS VI.

Narratio ex Hyperbole.

Apud MARTIALEM in Epigram. VI. *lib.*XI. in laudem NERVAE TRAIANI.

Tanta tibi eſt recti reuerentia, Cæſar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat; ſed Numa pauper erat.
Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores,
Et cum tot Crœſos viceris, eſſe Numam
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
Elyſium liceat, ſi vacuare nemus;
Te volet inuictus pro libertate Camillus,
Aurum Fabricius te tribuente volet.
Te duce gaudebit Brutus: tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cum poſiturus erit.
Et te priuato cum Cæſare Magnus amabit;
Donabit totas & tibi Craſſus opes.
Ipſe quoque infernis reuocatus Ditis ab vndis,
Si Cato reddatur, Cæſarianus erit.

Vt verò in ſuperiori Epigr. MARTIALIS excedit in augendo, ita in Epigr. XIX. *lib.* eiuſdem excedit in minuendo: in quo etiam exceſſu verſatur *Hyperbole*.

En ipſum Epigramma.

IN LVPVM.

Donaſti, Lupe, rus ſub Vrbe nobis;
Sed rus eſt mihi maius in feneſtra.
Rus hoc dicere, rus potes reuocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit vno,
Clauſæ cui folium roſæ corona eſt.
In quo non magis inuenitur herba,
Quam coſti folium, piperue crudum:
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec ſerpens habitare tota poſſit.
Erucam malè paſcit hortus vnam;
Conſumpto moritur culex ſalicto;
Et talpa eſt mihi foſſor, atque arator;
Non boletus hiare, non mariſcæ
Ridere, aut violæ patere poſſunt.
Fines mus populatur, & colono
Tamquam ſus Calydonius timetur,
Et ſublata volantis vngue Procnes
In nido ſeges eſt hirundinino.
Vix implet cochleam peracta meſſis,
Et muſtum nuce condimus picata.
Erraſti, Lupe, littera ſed vna;
Nam quo tempore prædium dediſti,
Mallem, tu mihi prandium dediſſes.

Vtriuſ-

Vtriuſque etiam Exceſſus exemplum inueni, inter Epigrammata M. ANTONII MVRETI, ſic enim hic per *Hyperbolen* augendo, agit
De POMPILII naſo.

Pompilio eſt naſus, cubitos tres longus, & vnum
Latus, & hunc murus cingit vtrinque triplex.
Adſunt & turres, Bacchus quas condidit ipſe,
Et minio tinctis vſque rubere dedit.
Huic etiam naſo vis admiranda tributa eſt,
Nam calices ſiccos illius vmbra facit.
Imò etiam longè diſtans ſi ſenſerit vſquam,
Vt magnes ferrum, ſic trahit iſte merum.
Nuper eram in menſa ſitiens, potare paratus;
Pompilius clauſas aſtitit ante fores.
Mira canam, ſed vera; merum mihi forte paratum,
Attraxit naſo protinus ille ſuo.

Per *Hyperbolen* autem diminuendo, ita loquitur
In PAVLI naſum.

Exiguum ſi quis naſum vidiſſe laborat,
Paulum adeat, Paulo ſi modò naſus ineſt.
Non etenim eſt naſus, ſed pars centeſima naſi,
Et quo quis viſo dicere poſſit: vbi eſt?
Talis ineſt naſus muſcis, ſed & his quoque maior,
Et meliùs naſi nomine dignus ineſt.

Quàm

Quàm quæ per radios volitant corpuſcula Solis,
Maiorem naſum vix, puto, Paulus habet.

De naſo quoque eſt *Narratio per Hyperbolen* apud HIERONYMVM ALEANDRVM venuſtiſsimum Vatem in ſequenti Epigram.

De DIPHILI naſo.

Non Diphilus naſum, Diphilum ſed ferre videtur
Naſus, nam naſo eſt additus ipſe ſuo.
Cumque iter aggreditur, iam millia multa peregit
Naſus, vix Diphilus traxit ab Vrbe pedem.
Fit naſus mons, cum Diphilus iacet ore ſupino.
Impoſitumque Oſſæ Pelion aſtra timent.
Vt terras adeas, quid opus, Cyllenie, pennis?
Pro ſcalis poſthac hic tibi naſus erit.

Hyperbolica quoque *Narratio* eſt in Epigram. IOANNIS SECVNDI

De Nano.

Auſus formicæ Nanus conſcendere tergum,
Credebat domito ſe ſe Elephante vehi.
At verò, vt curſu fertur nimis illa ſuperbo,
Infelix media præcipitatur humo.
Calcatuſque miſer: Quid rides, inuide, caſum
Dixit, communem cum Phaetonte mihi?

Et in Epigr. IACOBI ROGERII,
In Iuuenem gibboſum, & ad carmen natum.

Nemo putet veterum figmenta poemata Vatum,
Veridico Clarij prompta ſed ore Dei.
Nemo neget gelidæ ſubiectum Pelion Oſſæ,
Montibus aggreſſos, terrigenaſq. Iouem.
Nemo Atlanteis ſuffultum viribus axem;
Laſſo humero, Alciden ſuppoſuiſſe ſuum.
Hic iuuenis, quem non fruſtra natura creauit
Gibbum, humèris muſas, ac Helicona gerit.

Præclarum Hyperbolici Epigrammatis exemplum eſt apud MAPHAEVM BARBERINVM (qui poſtea, VRBANVS VIII.) non tantùm ſumma Dignitate clariſsimum, ſed etiam Poeſios præſtantia celeberrimum.

Statua *Niobes* in Hortis Mediceis.

Bis ſeptem Niobe natis, orbataq. charo
Coniuge ſum, ducto facta rigore lapis.
Ecce tamen ſpiro; nec enim de marmore finxit
Mè faber, at vitæ reddidit arte noua.
Lumina nõ fundunt lacrymas, non marmoris hic eſt
Candor; hebent triſti pallida membra metu:
Omnis inèſt ſenſus, nec linguæ deficit vſus:
Sed taceo; timeo nam mage cauta, loqui.

Su-

Superioris Epigrammatis concluſio, in qua linguæ fit mentio, reuocauit mihi in memoriam ſex mea Diſticha de *Effigie ſine lingua*, patefacto ore ſic ad viuum expreſſa, vt loqui ſanè velle videretur, quorum tria, vt magis Hyperbolicè compoſita, hoc loco ponam.

I. *Viua eſt Effigies: patefacto expreſſa fuiſſet*
Si quoque lingua ori, iam foret illa loquax.
II. *Viua eſt Effigies (nec enim dat viuere lingua)*
In cauſa eſt pictor, ſi nequit illa loqui.
III. *Viua eſt Effigies: ab aperto emitteret ore*
Verba quoq. at linguã non habet: adde; dabit.

Dabit verba,, ideſt, *loquetur*, quod eſt hyperbolicum; at argutior fortaſsè erit concluſio, ſi ambiguum hoc, *dabit verba*, accipietur, pro, *decipiet*, neque enim loquetur, cum ſit picta. Quod cap. 6. noto, loco 11.

Nobiliſsimum quoque *Hyperbolicæ Narrationis* exẽplum eſt, HIERONYMI PRAETI hetruſcum, Epigramma (breues enim poeticæ compoſitiones hetruſcæ, vulgo, *Sonetti, Madrigali &c.* cum conſtent ex *Narratione*, & *Argutia*, Epigrammata quædam ſunt, vt ſupra notaui Cap. 1.) *De Equo curſore velociſſimo*: Ipſum ego, hetruſcè compoſitum, priùs afferam, ſubdamque deinde in latinam linguam conuerſum; vt alia alijs locis, vt eodem Cap. 1. pollicitus fui.

Figlio de l'Aura, emolator de' venti;
Curſor veloce, e volator ſenz'ale,
Di cui vola più tardo alato ſtrale,
Volan per l'aria i fulmini più lenti.
Lo tuo corſo à mirar corron le genti,
Mà per ſeguir tuo corſo occhio non vale;
Non corre il Cielo alle tue piante eguale;
Men veloce il penſier muouon le menti.
Tuona il nitrito; e la ferrata zampa
Sparge delle fauille i lampi intorno,
E pur ſelce non tocca, orma non ſtampa,
Te brama il Sol per lo ſuo carro adorno;
Mà trahendo del dì l'ardente lampa,
Brieue fareſti col tuo corſo il giorno,

Quam compoſitionem GVILIELMVS SCARDINVS, Siculus, egregiè, ita latinè conuertit.

Aemulus Auſtrorum, ſpirantis filius Auræ
Es Sonipes velox; nec tenet ala latus.
Seriùs extortum petit aurea ſidera telum;
Seriùs emiſſum fulmen ab axe volat.
Illicò gens currit, rapida vt veſtigia ſeruet,
Non potis eſt oculis attamen illa ſequi.
Atque tuis pedibus Cœlum deuoluitur impar;
Impar aſſenſus mens operoſa mouet.
Intonat hinnitus, radios quatit vngula circum,
Nec premitur terris ferrea bulla pedis.

Luci-

Lucifero expeteret curru te magnus Apollo:
Corriperes curſu ſed breuiore diem,

Quam etiam PRAETI Compoſitionem, non minùs egregiè, ſic latinè reddidit IOANNES BAPTISTA BARGIOCCHVS Soc. Ieſu.

Filius eſt Auræ, ventorumque æmulus acer
Qui volat, & terram nec pede ſignat, Equus.
Cuius anhelantes mirantur lumina curſus,
Currere ſed pariter lumina nulla valent.
Qui pede ferrato, ceu fulgura clara, fauillas
Spargit, & hinnitu, dum fremit ore, tonat.
Quem cuperet proprijs Phœbus iunxiſſe quadrigis;
Sed fugerent curſu tunc breuiore dies.

Video, aliqua à BARGIOCCHO prætermiſſa: quod conſultò ab eo factum arbitror, erant enim illa nimis Hyperbolica: nimis autem Hyperbolica, aptè quidem in ludicris compoſitionibus inſeruntur, in compoſitionibus verò minùs ludricis, ineptè: vnde in illis poſita concitant riſum, in his autem, vt plurimùm irriſionem. Lege, quæ de *Hyperbole* admoneo in fine Loc. VI. Cap. VI. vbi de *Hyperbolicis Concluſionibus*.

LOCVS VII.

Narratio ex Allegoria.

Apud MARTIALEM in Epigr. xLv. *lib.* x.
In delicatum Lectorem.

Si quid lene mei dicunt, & dulce libelli,
Si quid honorificum pagina blanda ſonat,
Hoc tu pingue putas, & coſtam rodere mauis,
Ilia Laurentis cum tibi demus apri.
Vaticana bibas, ſi delectaris aceto:
Non facit ad ſtomachum noſtra lagena tuum.

Et apud eumdem in Epigr. LIX. *lib.* eiuſdem.
ad Eumdem.

Conſumpta eſt vno ſi lemmate pagina, tranſis,
Et breuiora tibi, non meliora placent.
Diues, & ex omni poſita eſt inſtructa macello
Cœna tibi, ſed te mattya ſola iuuant.
Non opus eſt nobis nimiùm lectore guloſo:
Hunc volo, qui fiat non ſine pane ſatur.

HIERONYMVS BALBVS
Sic allegoricè alloquitur fortunatum, & ſuperbum.

Dum te parua ratis, dum te leuis aura ferebat,
Et bonus, & placido pectore mitis eras.

Nunc

Nunc vbi roſtrata veheris ſuper æquora puppe,
Turgida ventoſus pectora faſtus agit.
Pendula mens hominum, rebuſque elata ſecundis
Fallitur, & vana credulitate tumet.

Atque etiam M. ANTONIVS MVRETVS
ita in Epigr.
De voluptate, & ratione.

Cum, velut excelſa reſidens in puppe, voluptas
Arbitrio mentem pellit, agitque ſuo,
Horrida bacchantes ineunt certamina venti,
Nauemque in Syrtes, & vada cæca trahunt.
Illinc ambitio, dolus hinc conſurgit, & atrox
Ira cruentatas ſanguine tincta manus.
At ratio regimen nauis ſi ſumpſerit, ecce
Compoſitis vndis æquora tuta ſilent:
Ipſa ratis nullo ventorum exterrita flatu
In portum certo tramite flectit iter.

Et AVRELIVS VRSIVS
In Libros Metaphyſicæ à R. P. AQVARIO
dicatos
IVLIO ANTONIO SANTORIO S. R. E. CARD.

Hac Sophiæ cupidos irrorat Aquarius vrna:
Quiſquis ades, dulci dilue fonte ſitim.
Aurea diffuſis viden', vt Sapientia riuis
Allicit, & lenis temperat ora liquor?

Mox vbi ſe pleno fundet Santorius auro
Aureus, aurifero pleniùs amne bibes.

Atque allegoricè CAROLVS BOVIVS Soc. Ieſu, ſic affatur D. IGNATIVM eius Fundatorem, animum ab humanis ad diuina facillimè attollētē.

Tam faciles, Loyola, tibi quis ſufficit alas,
Tam celer è terris vt ſuper aſtra voles?
Quò, libet impellant animum mortalia, at ille
Impulſu quouis vndique in aſtra redit.
Vota tui cordis ſic omnia mittis ab arcu,
Vt ſemper, quò tu miſeris, illa volent.
Cur? breue qui terræ punctum petit, errat: in orbes
Tu Cœli ingentes dirigis; inde feris.

Per *Allegoriam* quoque, eruditiſsimus Pater, IOSEPH à VISITATIONE, Religionis noſtræ Præpoſitus Generalis, venuſtiſsimè procedit in ſequenti Epigrammate.

De S. AGNETE VIRGINE, & MARTYRE.

Virginis effuſus niueæ ſuper alba capillus
Membra, quatit grauidas Cypridis igne faces.
Atque vbi forma ligat laſciuis corda catenis,
Crinibus Agnetis vincta libido perit.
I, puer, atque artes plorato, Cupido, doloſas;
Nam quo crine ligas corda, ligatus obis.

MAR-

MARTHA quoque MARCHINIA Neapolitana, Poetria venuſtiſsima, & perarguta, vt patebit ſequenti Epigrammate, alijſque hoc in Libro inſerendis, allegoricè ſic proceſsit in Epigram.

DE S. PHILIPPO NERIO.

Delicias Nerius diuini vt ſenſit amoris;
In ſe de Cœli fontibus influere;
Iam ſatis eſt; inquit; veſtros, rogo, claudite fontes,
O Superi; anguſtos obruit vnda ſinus.
Ipſe ego mutato fiam ſi nomine Nereus,
Non capit Oceanum hunc pectoris vrna mei.
Riſit diuus Amor, fractis dum pectore coſtis
Laxat, & in tales explicat ora ſonos:
Parua ſatis, nimiùmque licèt ſit pectoris vrna;
Hac tamen ex vrna flumina mille fluent.

Arrident quidem mihi valde Epigrãmata ſuperiora, nec minùs Epigrãma, quo ANTONIVS Abbas de COMITIBVS SFORTIA, non ſolùm progenie, ſed etiam Poeſi clariſsimus, Romæ, ex *Arce S. Angeli*, ſic allegoricè affatur *Excellentiſſimum Principem* D. ANGELVM ALTERIVM, Pontificiarum triremium Præfectum.

Quæ ſubigunt Pontum, dum vela triremibus addis,
Contrahis ipſe animi vela modeſta tui.

Te

Te blanda immenſum in pelagum non prouehit aura;
Rideat illa licèt, littora tuta legis.
Puppibus haud tantùm faciles immittis habenas,
Quæ per Neptuni cærula regna meant,
At fauſtum es cunctis ſidus, qui fluctibus Aulæ
Iactati, ſcopulos, naufragiumque pauent.
O vtinam optanti poſt tot diſcrimina portum,
Noſtræ etiam, Princeps, ſis Cynoſura rati.

Ipſe etiam interdum Allegoricè, Epigrammata compoſui, quorum tria, quæ ſequuntur, ac primum Eminentiſsimo Principi, FLAVIO CHISIO S. R. E. Card. Mœcenati meo optimo, cui meorum Epigrammaton *libri* I V. dicati; quo Epigrammate includo hoc meum Anagramma.

FLAVIVS CHISIVS.

Anagramma.

HIC ALIS VSVS FVIT.

FLAVIVS ecce, ſuis, Muſam mihi protegit alis,
Sic nihil aduerſi carmina noſtra timent.
O felix! ALIS FVIT HIC tutricibus VSVS:
Muſa ſub his alis noxia nulla pauet.
Scilicet alarum tanti ſub Principis vmbra
Infeſto ardori non locus eſſe poteſt.

In

In illud Pſalmi CXVIII.
Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.

Alma fides, verbum Chriſti, lumenque fides eſt:
Hæc, pulſis tenebris, clarat ad aſtra vias.
Ambulat in tenebris, hòc qui ſine lumine pergit:
Pergère inoffenſo non potis ille pede.
Fallitur hæreticus, qui pergere credit ad aſtra:
Lumine, quo poſſit pergere ad aſtra, caret.

De extremo Iudicio
ad eos, qui alienis bonis impinguantur.

Quantus, cum Turba duodena occulta patebunt
Iunctæ cum Chriſto iudice, terror erit.
O piſces, piſces magni, præpinguia quorum
Corpora nunc multo piſce minore tument,
Horrida quàm vobis fuerit nox illa ſuprema,
Qua Piſcatorum retia vos capient.

In huius autem generis Epigrammatis ſemper aliquid inſeritur (vt patet allatis exemplis) quo ea, de quibus allegoricè agitur, facilè intelligũtur: ſi enim in Epigrammatis nihil prorsùs inſeritur, quo *Allegoria* dilucidetur, ea potiùs *Aenigmatica* ſunt, quàm *Allegorica*: *Aenigma* enim obſcuritate differt ab *Allegoria*, cùm nihil aliud ſit *Aenigma*, quàm obſcura *Allegoria*, cuius exẽpla põnã ſequenti loco.

LOCVS VIII.

Narratio ex Aenigmate.

Sunt quædam Epigram. Aenigmatica apud MARTIALEM, quale eſt Epigram. Lxxv. *lib.* XIII. cuius titulus,

Grues.

Turbabis verſus, nec littera tota volabit,
Vnam perdideris ſi Palamedis auem.

Exempta enim vna aui turbabitur ordo, & formæ litteræ, quam ex Gruum volatu inuenit Palamedes, quæ alijs eſt Y, alijs A, alijs verò Δ.

Et Epigr. XXXIV. *Lib.* XIV.

Falx ex enſe.

Pax me certa ducis placidos curuauit in vſus
Agricolæ nunc ſum, militis ante fui.

Et Epig. xL. eiuſdem *Libri.*

Candela.

Ancillam tibi ſors dedit lucernæ,
Tutas quæ vigil exigit tenebras.

Et Epigram. ccxII. eiuſdem *Libri.*

Pumilio.

Si ſolum ſpectes hominis caput, Hectora credes:
Si ſtantem videas, Aſtyanacta putes.

Per

Per Hectora, ſignificatur, vir, per Aſtya nacta, puer. Libet etiam eiuſdem MARTIALIS Epigr. xi i. *lib.* v. hic legendum proponere, licet in eo non *Narratio*, ſed tantùm Concluſio *Aenigmatica* ſit, eſt enim pulcherrimum *Aenigma*, pulcherrimæque Narrationis cauſſa fuit.

DE STELLA.

Quod nutantia fronte pertinaci
Geſtat pondera Maſclion ſuperbus,
Aut grandis Linus omnibus lacertis,
Septem quòd pueros leuat, vel octo,
Res non difficilis mihi videtur,
Vno cum digito, vel hoc, vel illo
Portet Stella meus decem puellas.

Qua Aenigmatica concluſione ſignificatur, ferri à STELLA vno digitulo in vnius anuli gemma inſculpta ora decem puellarum, cum alluſione ad *Pyrrhi* gemmam, qua effingebatur *Apollo* cum nouem Muſis.

Extant SYMPOSII antiqui Poetæ Aenigmata centum, valde quidem ingenioſa, IOSEPHI CASTALIONIS I. V. C. notis illuſtrata, quorum quatuor hic ſubijciam.

Mulier geminos pariens.

Plus ego ſuſtinui, quàm corpus debuit vnum:
Tres animas habui, quas omnes intùs habebam:
Diſceſſere duæ, ſed tertia pene ſecuta eſt.

Echo

Echo.

Virgo modeſta nimis, legem bene ſeruo pudoris,
Ore procax non ſum, nec ſum temeraria lingua,
Vltrò nolo loqui, ſed do reſponſa loquenti.

Caliga.

Maior eram longè quondam, dum vita manebat:
Sed nunc exanimis, lacerata, ligata, reuulſa
Dedita ſum terræ, tumulo ſed condita non ſum.

Somnus.

Sponte mea veniens, varias oſtendo figuras,
Fingo metus varios nullo diſcrimine veros,
Sed me nemo videt, niſi qui ſua lumina claudit.

Pulchra ſunt profectò ſuperiora *Aenigmata*: pulchriora tamen, quæ ex *Contrario* conſtant, ſeu concluduntur; qualia ſunt ipſiuſmet SYMPOSII poſtrema duo.

Tale quoque eſt Aenigma hoc IVLII CAESARIS SCALIGERI.

Ouis.

Imbellis tota eſt; caput exime; vis erit illi.

Ex

Ex contrario etiam procedit hoc meum, quo Liber plenus doctrina, ſic loquitur.

Nil, niſi ſcruta mihi, pellis caprinaque veſtis,
Et ſtudijs mos eſt, ſemper adeſſe, mihi.
Sed nihil ediſco, tenebris oppletus; & ipſo
Non eſt in toto corpore mica ſalis.
Atque cibo ſemper (poterit quis credere?) nullo
Vitam traduco, diuitijſque vaco.
Sic tamen abiectus ſcrutis, tectuſque caprino
Tegmine, cum claris verſor vbique viris.
Et quamquam nihil ediſco, me conſulit omnis,
Edoceo cunctos, me Sophos omnis amat.
Nulla meamque licèt ſuſtentent fercula vitam,
Multa tamen cunctis fercula grata fero.
Diuitijſque vacans, tales tamen affero, poſſet
Vt non æquales tradere Crœſus opes.

Maximè autem ingenioſum eſt *Aenigma*(quod modò ponam) relatum in ſua Metamatica ab eruditiſſimo Præſule IOANNE CARAMVELE, qui non ſolùm Theologicis ſtudijs, ſed etiam hiſce noſtris minùs grauibus maximè delectatur. Quo ænigmate ex vno tantùm carmine confecto, trium hominum nomina miro modo exponuntur. Quod *Aenigma* hac occaſione compoſitum; vt ipſe ibi tradit his ipſiſsimis verbis. *Erat Duaci Claudius ſeuerus, & auſterus præceptor, habebatq. petulantes diſcipulos, quos corrigendo non emendabat, ſed irri-*

irritabat. Qui cum aliter Magiſtrum ſuum vexare non poſſent, caniculum arripiunt, exuiſcerant, & parieti ſuffigunt. Amabat caniculum CLAVDIVS, *& omnem mouet lapidem, vt criminis auctorem reperiat; ſed fruſtrà. Interim eidem muro poſtridie hoc Diſtichon inſciptum fuit.*

Ponere cum cunctis lapidem duo millia Diuis
Fixerunt muro viſcera viua canis.

Quod Aenigma idem ex ſe clariſsimè explicat illos, qui petulantiam commiſerũt. Magiſter PETRVS, VINCENTIVS, & TOSSANVS. Primus Gallicè dicitur, *Metre Pier*, hoc eſt, *ponere lapidem*. Secundus, *Vincent*, hoc eſt *vigecies centum*, ſeu *duo millia*. Tertius *Toſan*, hoc eſt, *omnes Sancti*; ideòq. dictum, *cum cunctis Diuis*.

Non omittam Aenigma elegantiſsimum, de ipſo Aenigmate, PETRI ALOIS. Quod ita loquitur.

Illa ego, quæ nigra ſata ſum caligine proles,
Omnia par matri, moribus, ore, genis.
Centum me flexas, ſinuoſa volumina centum;
Spirarum ambages texere mille iuuat.
Cæca placet rerum facies, tacitaſq. latebras,
Et Labyrinthæas implicuiſſe vias.
Fallaces laruas inter, ſimulacraque veri
Ficta, iuuat dubium ferre, referre gradum.

Cæcum

Cæcum lucis inops extinxi; hinc flebilis à me
Græcia iure ſibi lumina rapta dolet.
Artes, atque aſtus Ithaci qui nouit Vlyſſis,
Decidit in noſtras neſcia præda plagas.
Cui claram dederant Troiana incendia lucem,
Hic nequijt latebras exſuperare meas.
Si me ſcire velis, aciem celer excite mentis;
Hæc Ariadnæi ſtaminis inſtar erit.

Ipſe etiam ipſum Aenigma, Aenigmate ſignificaui, ſequenti Tetraſticho.
Ipſum loquitur Aenigma.

Me miſerum: cæcum penitùs natura creauit,
Et qui me cernit, fit quoque lucis inops.
Aſt vbi me patris clarat manus, haud tamen illum,
Tunc quoque nil video; ſed tamen ille videt.

In hoc Aenigmate aliqua obſcuriora, breuibus annotationibus dilucidabo.

Et qui me cernit &c.] Qui me legit, eget declarationis.
Aſt vbi me patris clarat manus] Me Author notis illuſtrat.
Nil video] Quomodo enim videat, ideſt, intelligat, cognoſcat ipſa compoſitio?
Ille videt] Lector intelligit, cognoſcit, quid ipſum Aenigma ſignificet.

Quoniam verò huiuſmodi Compoſitiones iucundiſſimæ ſunt, maximèque valent ad acuendum ingenium, & ad tempus maxima cum voluptate traducendum, in gratiam, vtilitatemque Iuuentutis ad hilaritatem propenſæ, earum Libellum confeci, typiſque iam edidi, quarum ſeptem proſa oratione procedunt (nam cæterę carminibus) earumq. vltima etiam *Aenigma* ſignificatur: quam compoſitionem, vt & alias, clariſsimis notis explicaui. Eam igitur, ſeu alias legendi cupidus, ipſum videat Libellum, namque hìc aliud aliquid addere, ſuperuacaneum puto.

LOCVS IX.

Narratio ex Congerie.

Apud MARTIALEM in Epigram 1. in Amph. Cæſaris.

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis,
Aſſiduus iactet nec Babylona labor.
Nec Triuiæ templo molles laudentur honores;
Diſſimuletque Deum cornibus ara frequens.
Aere nec vacuo pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant.
Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro:
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Et

Et apud eumdem in Epigr. xLIII. *lib*. v.
Amicis eſſe donandum.

Callidus effracta nummos fur auferet arca;
Proſternet patrios impia flamma lares.
Debitor vſuram pariter, ſortemque negabit;
Non reddet ſterilis ſemina iacta ſeges.
Diſpenſatorem fallax ſpoliabit amicus;
Mercibus extructas obruet vnda rates.
Extra fortunam eſt quidquid donatur amicis:
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Pulcherrima ex hoc loco *Narratio*
in ANGERIANI Epigram.
De ſua pœna immutabili.

Dic mihi, Thebarum portæ, Babylonis & alta
Mœnia, Romanæ, dic, vbi ſceptra togæ?
Herba tegit Troiam, gratas tegit herba Mycenas;
Nec credis, montes hic, vbi campus, erant.
Quod ſecat Europam, & Libyàm mare, vomer arabat,
Nexaque cum Brutijs Trinacris ora fuit.
Ecce, hominum ſteterant vbi quondam tecta, ferarum
Nunc luſtra vrticis obſita, cerne, iacent.
Quot maria, atque lacus tellus abſorpſit? & ipſa
Quot titulos tellus, quot lacerauit opes?
Atteritur digitis aurum, dum fertur, & vndæ
Saxa cauant; mutant flumina curua vias.

Inſcribunt Pario Reges ſua nomina ſaxo:
Nomina cum ſaxis ſunt peritura ſuis.
Omnia ſub magno tandem vertuntur Olympo;
At mea in æterno pœna dolore manet.

Venuſtiſsima eſt etiam *Narratio* per *Congeriem* in ſequenti Epigr. clariſsimi Vatis MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII è Societate Ieſu, in illud Cantic. v.
Caput eius aurum optimum:
manus illius tornatiles aureæ.

Vitis eram; noſtros carpebat nemo racemos:
Flumen eram; noſtras nemo bibebat aquas.
Arbor eram; noſtra nemo conſedit in vmbra:
Ductor eram; noſtrum nemo tenebat iter.
Phœbus eram; noſtro lucebat lumine nemo;
Paſtor eram; noſtras nemo ſecutus oues.
Quid faceret Ieſus? aurum placet omnibus: aurum,
Vt placeam, poſthàc omnibus, inquit, ero.

Per *Congeriem* quoque venuſtiſsimè procedit Epigramma præſtantiſsimi Vatis,
IOSEPHI BAPTISTAE,
De breuitate humanæ vitæ.

Culmine, quas ſtruxit ſublimi Dædala Memphis,
Inclyta Pyramidum diruta pompa iacet.
Condidit Aſſyriæ, quæ clara Semiramis vrbis
Mœnia barbaricas occuluere vias.

Manſo-

Mauſolo fatale dedit Regina ſepulchrum,
Nunc vbi palleſcit luxuriata ſeges
Regia Dianæ ſublimibus alta columnis
Herbiuago præbet paſcua læta gregi.
Sunt cineres, quæ fecit ebur ſimulacra Tonanti,
Nec ſimulacra Rhodos grandia Solis habet.
Aequa ſolo Perſæ cecidere palatia Cyri,
Memnonis è Pario marmore ſtructa manu.
Ecquid miramur, quid fundimus ore querelas,
Si compacta luto corpora noſtra cadunt?

Eſt etiam *Congeries* in hoc meo Epigrammate
AD MAXIMVM
hominem improbiſsimum, liberum ſe putantem.

Sum liber, dicis; mentiris, Maxime; non es:
Te tua captiuum crimina quippe tenent.
Si te forma capit, ſi vel ligat anulus vnus
Flexilis, è compto pendulus orbe comæ.
Si ſeruis auro, rerumque immenſa cupido
Si prohibet, dulci poſſe quiete frui:
Si domina ambitio eſt; odium ſi regnat, & ira;
Si timor excruciat, torquet & inuidia;
Milleque ſi ſcelerum ſtringunt te, Maxime, nexus,
Quæ tibi libertas? liber vt eſſe potes?
Dirumpenda, miſer, priùs hæc tibi vincla: ſolutus
Cum fueris vitijs, Maxime, liber eris:

At curandum eſt, ne ex hoc loco deductum Epigrãma prolixum ſit, ne potius Elegia videatur, quàm Epigramma, cuius propria breuitas eſt.

L O C V S X.

Narratio ex Deſcriptione.

Apud MARTIALEM in Epigr. xxxii. *Lib.* v.
De ludo puerorum cum iuuencis.

Aſpice, quàm placidis inſultet turba iuuencis,
Et ſua quàm facilis pondera taurus amet.
Cornibus hic pendet ſummis; vagus ille per armos
Currit, & in toto ventilat arma boue.
At feritas immota riget; non eſſet arena
Tutior, & poſſent fallere plana magis.
Nec trepidant greſſus; ſed de diſcrimine palmæ
Securus puer eſt, ſolicitumque pecus.

Clariſſimus quoque Vates MAPHAEVS BARBERINVS miri artificij fontem mira *Deſcriptione* Lectorum oculis exhibuit ſequenti Epigrammate.

Largior anguſta primùm defertur in auras,
Inde magis lata ſubſilit vnda via.
Exprimit hinc patulum tenui cratera liquore:
Quid gelidam ſitiens non bibis, hoſpes, aquam?
Nam cui lympha ſitim mira non prouocet arte?
Ipſe calix lympha eſt, ipſaque lympha calix.

Et

Et ſublimis Vates in me officioſiſsimus

FABIVS CHISIVS

qui poſteà

ALEXANDER VII.

dictus quoque PHILOMATHVS ob illuſtrem PHILOMATHORVM Academiam ab integro iam ſeculo Senis erecta, Pictoris Albani opus, in quo puer IESVS ſe vouens Patri, atque Angeli, eius cruciatuum inſtrumentis ludentes aſpiciuntur, hoc Epigrammate tam bene deſcripſit, vt pinxiſſe potiùs videatur.

Blandula cœleſtum proles quæ ludit Amorum
Ac diræ tractat barbara tela necis,
Hæc tibi, die Puer, funus præuertit acerbum,
Et, quod mente geris, mollius arte refert.
Lintea fert hic ſudanti, lora ille minatur;
Nititur hic tenera ſtringere flagra manu.
Ille facem geſtat, laqueos ille, ille columnæ
Hæret; ſed loculos ſubdolus ille tenet.
Hunc forceps iuuat, oſtentat clauum ille trabalem;
Dirigit ille haſtam; hic pocula felle replet.
Admouet hic ſcalas; librant gemini inde per auras
Et gemini figunt pondera ad ima Crucem.
His circumfuſum paliuro te ille coronat
Pendulus, & calicem triſtior alter habet.
Suſpicis, & iuſto ſacras pia vota Parenti,
Alitibus medius qui procul axe venit.

Scilicet, alme Puer, mundum reparare ruentem
Ante diem pietas hæc tua corda premit!
Nec ſatis illa meæ ventura piacula culpæ,
Ni præmaturus ludat amore dolor!

Illuſtris Vates HIPPOLYTVS CAPILVPVS Epiſcopus Fanenſis, hoc Epigrammate Senis vitam pulcherrimè deſcribit.

Vita Senis, bene culta domus, bene cultus agellus,
Paruaque odorato cella repleta mero.
Nec tenui in menſa iucundus deſit amicus,
Qui ſimul ad Cœlum tempora priſca ferat.
Huic etiam ſopor interdum, lepiduſque libellus
Sit comes, in ſcamno dum ſedet ante focum.
Stetque nepos hilaris gremio, & det mollia collo
Brachia, & annoſis oſcula mille genis;
Lectulus & ſomnos inuitet nocte ſalubres,
Et veniente die dulce querantur aues.
At vigil hinc cura, & lateris dolor abſit acutus,
Nec teneat vetulos tarda podagra pedes.
Mens vigeat ſemper, non vlli obnoxia fraudi,
Floreat & firmo pectore ſancta fides.
Si bona tanta ſeni tribuet, qui temperat Orbem,
Regis honos illi deſpiciendus erit.

Idem CAPILVPVS ſuperiorem vitæ Senis *Deſcriptionem*, totidem verſibus, non minori quidem pulchritudine variauit ſequenti Epigrammate, quod hìc ponendum exiſtimaui, vt ex eo optimus variandi modus addiſcatur.

Sit mihi, quæ niteat domus, & qui floreat hortus,
Conditaque exiguis vina Falerna cadis;
Et dape non empta mecum contentus amicus,
Laudibus extollat facta vetuſta ſenex.
Lumina nonnunquam condat mihi ſomnus ad ignem,
Dum verſo patrij nobile Vatis opus.
Inque ſinu ludens, teneris mihi colla lacertis
Implicet, & libet paruulus ora nepos.
Detque mihi requiem nocturnis lectulus horis,
Et volucris lætos, Sole oriente, modos.
Hinc fugiat morbus, nulla ſanabilis arte;
Sit dolor hinc lateris, ſit quoque cura procul:
Nec mihi mens vnquam langueſcat conſcia recti,
Viuat & æternùm firmior alma fides.
Si tot dona ſeni dederit mihi rector Olympi,
Optandæ magni non mihi Regis opes.

Quam *Deſcriptionem* complexus eſt idem ſequenti Diſticho.

Vita Senis, redolens hortus, iucundus amicus,
Dulce merum, mollis lectulus, alma fides.

Et

Et hoc altero.

Vita Senis, libri, domus, hortus, lectus, amicus,
Vina, nepos, ignis, mens, auis, alma fides.

Pulcherrima eſt etiam *Deſcriptio* IOSEPHI SILOS Clerici Regularis (quem ego ob carminis elegantiam, claritatem, ſuauitatem, & ob venuſtum, ingenioſum, argutumque dicendi genus, admiror plurimùm, multiſque vatibus præferendum cenſeo) in Epigrammate

AD ANTONIVM CARD. BARBERINVM.

De fonte præ Aedibus magnificè excitato, qui Iridem aduerſo Sole repræſentat.

Semiferum Tritona vides: ſtat pectore nudo,
Mutatoque maris gurgite, fonte ſedet,
Curuam inflat concham, fluctuſque inſpirat, & vndas,
Arduus & tergit ſydera celſa latex.
Fracta ſed vnda cadit, rorantique Iride pictam
Excipit vndanti margine concha duplex.
Nec ſiſtit, labriſque ruit reuolubilis humor,
Gaudet & in gelido feruere lympha lacu,
Vrbanas hìc cernis Apes; nec ſueta ſuſurro
Ora ſonant, circum nec volitare iuuat.
Stant tacitæ; nempè vt reſonans dum murmurat vnda,
Excipiant plauſus, imbre cadente, ſuos.

Et

Et venuſtiſsimus Vates IACOBVS BIDERMANVS Soc. IESV. cruentam Chriſti faciem, in velo *Veronicæ* expreſſam, per *Deſcriptionem* oculis ſubiecit, hoc Epigrammate.

Cernis, vt in picto liueſcant vulnera velo?
Plurimus vt læſo ſtagnet in ore cruor?
Sic facies, ſic ora Dei, ſic tempora quondam,
Et frons, & geminæ ſic rubuere genæ.
Stant oculi lacrymis, punguntur tempora ſente,
Et caput impexis ſquallet inerme pilis.
Mala merus cruor eſt: mera veſtit purpura frontem,
Et merus in facie ſanguis, in ore merus.
Forma caret forma; color abſque colore. Tabella
Iſta, rogas, cuius picta ſit arte? tua.

Idem IACOBVS BIDERMANVS ita deſcribit Infantem ludibundum, & ſuamet imagine deceptum, vndiſque ſubmerſum.

Trimulus illimem cum fortè ſederet ad amnem,
Et placidam vitrei cerneret amnis aquam,
Induit, ecce, amnis puerilia vitreus ora,
Et mendax Puerum rettulit vnda parem.
Ille ſibi inter aquas vbi credidit eſſe gemellum,
Concordes ſocio datq. petitque manus.
Extulit hic medijs itidem æmula brachia lymphis,
Et quas ille manus porrigit, iſte petit.

Sed

Sed nondùm ex alta coiere crepidine palmæ,
Vtraque cum cuperet palma coire tamen.
Ergo ſuam vlteriùs dextram vt protenderet alter
Deſuper in liquidam pronior hæſit aquam.
Extenditque manus iterum; extenditq. caditque;
Præcipitemque nocens gurgitis vnda rapit.
Deceptus, puer, es. Sperabat tangere dextram
Dextra parem: ah, longè fortior vna fuit.

Egregiè quidem egregius Vates, ſed argutiùs profectò concluſit IOANNES ALOYSIVS CERCHIARIVS Cleric. Regul. Congregationis Somaſchæ, optimus Orator, ac Vates, qui in idem argumentum ſic luſit.

Ad Tyberis cum fortè Puer conſiſteret vndas,
Cerneret & Puerum ſurgere in amne parem,
Extulit inde pedem; pede ſubſultauit imago:
Extulit inde manum; ſuſtulit vnda manum.
Arriſit proprij deceptus imagine vultus,
Et puerum in pueros ſe putat iſſe duos.
Extendit dextram, ſocium qua ducat ab vndis,
At medias rapitur cernuus inter aquas.
Hic trahit, vmbra trahit, corpus luctatur, & vmbra: at
Corpus dum rapuit, fortior vmbra fuit.

Pul-

Pulcherrimæ etiam *Deſcriptionis* exemplum eſt Epigramma VINCENTII GVINISII Soc. Ieſu.

De Funambulo.

Quis nouus hic Cœlo ſuſpendit Dædalus alas?
Sed vereor, ne fors Icaron iſte probet.
Aſpicis, vt tenui feliciter audet in aura?
Ceu ſubeat ſtabili ludicra bella ſolo?
Fune ſuper tereti tutiſſimus errat, & artem
Ludere dum geſtit, luditur arte timor.
Hic choreas impune ciet, ſeſeq. ſupinum
Librat, & intorto turbine corpus agit.
Argutat pedibus, tremuloque per aera ſaltu
Tollitur; erectus ſed tamen inde redit.
Nec mora, nec requies: iterum ter pectus in altum
Surgit, & in gyrum ter vaga membra rotat.
Corpore dum pendet, ſola ceruice tenet ſe,
Et verè ad reſtim colla redacta gerit.
Tum ſimulat caſum, populoque timente, timorem
Ridet, qui populi vota timere facit.
Quin capite obuerſo totus pede pendet ab vno;
Dumque pedem abſoluit, dextera ſupplet opem.
Iam iam caſurus redit, incertumque theatrum,
Quas iubet in partes, ſpeque, metuque trahit.
Nec ſolus pendet, ſed enim pendentia ſecum
Vno ex fune tenet millia multa virûm.
O viles animæ, & venalia pectora paruo,
Sæpe quibus merces eſſe ruina ſolet.

Non

Non ſat terra, vias habet, & diuortia lethi,
Vt iuuet in Cælo quærere mortis iter?
An ſemper vobis ſubeunda pericula cenſus,
Atque omnis fundus denique funis erit?
Cum reſtim aſpicitis protenſam, dicite; forſan
Vltima iam vitæ linea ducta meæ eſt.

Pulcherrima eſt quoque *Narratio* per *Deſcriptionem* in ſequenti PETRI ALOIS Societatis Ieſu Epigrammate
De inſigni Equo Magni HENRICI IV. Galliæ Regis.

Hic decus alipedum, quos edidit inclyta Siren,
Aligero è curſu quàm bene nomen habet!
Crine niger, baliuſque pilo, ceruice recuruus,
Spumeus ore, tumens naribus, aure breuis,
Candorem præfert ſtellatus fronte niualem:
Attollunt modicum colla ſuperba caput.
Criſpat inundantem caudam, pede diſcolor vno,
Inſultatque fremens corneus vngue ſolo.
Arduus inceſſu, curſu pernicior Euris,
Doctus & in numerum conglomerare gradus.
Stare loco impatiens, reſonant vbi cornua Martem;
Aduerſuſque hoſtes inſiluiſſe furit.
Henrico celer Alindus ſeſſore ſuperbit:
Ne mage ſe Cæli pondere iactet Atlas.

Ipſe

Ipſe etiam huiuſmodi narrationibus vſus ſum; rarò tamen; *Deſcriptiones* enim, Elegiographos decem potiùs, quàm Epigrammatographos, qui dum Deſcriptiones adhibent, breuitati ſtudere debent; longa enim in Epigram. *Deſcriptio* plerumque reprehenditur: eam tamen, etſi longa ſit, laudabilem puto, quæ ſubinde cum argutijs excurrit, qualis eſt in Epigrammate VINCENTII GVINISII ſupra allato.

Afferam ex meis, Epigrammata duo; ac primum, quod compoſui in Opus marmoreum, iuſſu INNOCENTII X. Pont. Max. Romæ locatum in Baſilica Vaticana, in quo Leo Magnus obuius Regi ATTILAE inſpicitur.

Attila dum Romam, ſuperi ruit acre flagellum
Numinis, vt totam diruat enſe, rogo,
Occurrit Leo magnanimus; timet ille; Leoni
Protinus ac parens, frenat vt agnus, iter.
Scilicet, & Petrum gladio, Paulumque minantes
Horreſcens, Magni iuſſa Leonis obit.
Sculpſit Alexander mira hoc Algardius arte:
Marmorea incutiunt ſigna vel ipſa metum.

Alterum, quod olim ſcripſi ad clariſsimum Vatem in me perofficioſum, FERDINANDVM FVRSTENBERGIVM, Epiſcopum Paderbornenſem, tunc ALEXANDRI VII. Pont. Max. Cubicularium intimum.

Anima

Anima Iuſti, hortus floridus.
ex dicto S. Pauli ad Corinthios;
Chriſti bonus odor ſumus.

Iuſti anima, vt varijs fragrans bene floribus hortus;
Quàm gratis totus floribus hortus olet!
Hic roſa diuini pulcherrima floret amoris;
Candoris ſacri hic lilia celſa virent.
Hic molles fundit violas Patientia: flores
Atque hic, Virtutum copia, mille parit.
Empyreæ hos mulcent auræ, Zephyrique ſuperni,
Et Sol diuinus firmat, & imber alit.
Vere hic perpetuo ſunt florida cuncta, perenne
Nam Paradiſiacis cuncta rigantur aquis.
Quàm, Fernande, halat, magne ò pietatis amator,
Hortus hic! hic graditur, captus odore, Deus.

Vide prætereà in Loco VI. Cap. VI. Epigram. SOSSAGI, in quo *Aulæi* perpulchra ſanè *Deſcriptio* continetur.

De Argutia, altera Epigrammatis parte, eiuſque Virtutibus, & Vitijs.

CAPVT V.

Argutia in Epigrammate totum illud dicitur, quod ex propoſitis deducitur; ea verò eſt quædam quaſi anima Epigrammatis; ipſa enim deſtitutum languet prorſus, ac friget, licèt alioquin elegans valde

valde ſit, atque ornatum: Quamobrem ſic olim cecini in Epigrammate,

AD HVGONEM NAREMVNCTIVM.

Corpus habent, animam, propriaſque Epigrammata veſtes:
Materies corpus, dant animamque ſales.
Excultus ſermo veſtes: Epigramma, decora
Qui tantùm exornat veſte, quid, Hugo, facit?
Nil facit, Hugo: carens ſalibus, frigetq. iacetque:
Quid pulchri à pulchra veſte cadauer habet?

Et profectò *Epigramma* ſine *Argutia*, quodammodò *Epigrammatis* nomen amittit, cuius propria eſt *Argutia*; adeòque propria, vt hac in primis à reliquis partibus Poëſios ſecernatur; vt enim carmen *Heroicum*, tamquam propriam ſibi vendicat *grauitatem*, *Bucolicum*, *ſimplicitatem*; vt *Elegiacum*, *molli quadam*, *tenera*, *ſuauique locutione* gaudet, *Iambicum* verò, & *Satyricum acrimoniam*, *acerbitatemque* deſiderat: vt *Lyrici* carminis propria eſt *ſuauis varietas*; vt *Comœdiæ ioci*, *Tragœdiæ affectus*, ita *Epigrammatis* propria eſt *Argutia*, qua vna totum Epigramma metiri ſolemus. Quapropter diligentiſsimè curandum eſt, vt non ſolùm *Narratio* quàm optima præcedat, ſed etiam, vt quod inde, concludendo, deducimus, ſit quàm maximè acuminatum. Quamobrem ritè quidam dixerunt, Epigramma ſimile eſſe Scorpioni, qui quemadmodum in cauda gerit aculeum, quo lethalem

plagam infligit,ita Epigramma , acumen, ad vltimum, tamquam in cauda reſeruat . Ob eamque rationem , Api ſimili eſſe debere oſtendi ſubſequenti Epigrammate .

Pangere quàm pulchrum cupiens Epigramma , laboret ,
Vt ſimile in cunctis hoc videatur Api .
Parua , Apis, & nitida eſt; ſit tale Epigrãma: fluitq.
Melle Apis ; eloquio dulci Epigramma fluat .
Atque, vt Api , extrema ſit parte Epigrammati acumen :
Pulchrius hoc pangi non Epigramma poteſt .

Hoc autem , quod in concluſione Epigrammatis ex propoſitis infertur , annotatore Scaligero ,

aut { *Maius* , *Minus* , *Aequale* , *Diuerſum* , *Contrarium* , } eſt:

Quas omnes *argutas Concluſiones* , tibi, Lector , nunc plurimis exemplis oſtendam ; ſed anteà te admonitum volo, vt ; ſi argutus eſſe velis , breuitatem ſecteris, viteſque nimis floridam locutionem:prolixo enim ſermone perditur *Argutia* , nimiſque floridus ſermo argutiæ penitus aduerſatur ; cautuſque prætereà ſis in concludendo , ne videlicet

poſt

poſt Narrationem fabuloſam ſtatim inferas concluſionem, ſi de rebus ſacris agatur, ſed aliquid præmittas, quo falſum pateat, quod narratum eſt; vel tali ratione concludas, vt, quod fabuloſum præmiſſum eſt, non tamquam pro vero poſitum videatur: ineptè enim, cum argumenta verſantur in rebus ſacris, ſine hac cautione Epigrammata concluduntur.

Curandum præterea eſt, vt, quoad fieri poſsit, in concluſionibus (imò etiam toto Epigrammate) deuites coniunctiones cauſſales; ipſæ enim licèt in ſoluta oratione cum gratia ponantur, minùs tamen bellè, vt plurimum, vſurpantur à Poetis, nam abſque iſtis coniunctionibus nobiliùs, Epigrammata procedunt, & grauiùs concluduntur. Quod videre potes in ſequentibus MARTIALIS Epigrammatis *ex Maiori* concluſis, immò in hoc toto Cap. V. in quo ferè omnia ipſius exempla, ſine cauſſali coniunctione concluſionem habent. Quod potiſsimum ſeruandum eſt, dum concluditur per *Sententiam*, vt optimè eumdem MARTIALEM ſeruaſſe video in omnibus Epigrammatis infrà allatis Cap. VI. Loco VIII.

Quamdam tamen, coniunctio, *nam*, repetita gratiam habet: Vnde ego conſultò ita clauſi Epigramma in ea verba Dauid ex Pſal. 38.

Auribus percipe lacrymas meas.

Scilicet eſt lacrymæ ſua vox: nam lacryma curæ
Nuncia; lætitiæ nuncia nam lacryma eſt.

Conſultò, dixi: ſecùs enim dicere facillimè potuiſſem, vtroque loco, vbi coniunctio cauſſalis eſt, conſtituendo, *vox*; ſed non adeò iucundè fluxiſſet in aures.

Iam verò exempla *argutarum Concluſionum* afferamus.

Arguta Concluſio ex Maiori.

Apud MARTIALEM in Epigr. XVI. in Amph.Cæſ.

De Tauro.

Raptus abit media quòd ad æthera Taurus arena,
Non fuit hoc artis, ſed pietatis opus.
Vexerat Europen fraterna per æquora taurus,
At nunc Alciden taurus in Aſtra tulit.
Cæſaris, atque Iouis confer nunc ſtemma, Iuuentus:
Par onus vt tulerint, altiùs iſte tulit.

Et apud eumdem in Epigr. XXVII. in idem Amph. Blanditur Cæſari.

Secula Carpophorum, Cæſar, ſi priſca tuliſſent,
Iam nullum in monſtris orbe fuiſſet opus.
Non Marathon taurum, Nemee frondoſa leonem,
Arcas Mænalium non timuiſſet aprum.
Hac armata manus hydræ mors vna fuiſſet;
Huic percuſſa foret tota Chimæra ſemel.

Igni-

Ignipedes poſſet ſine Colchide vincere tauros:
Soluere & Haſionen ſolus, & Andromeden.
Herculeæ laudis numeretur gloria: plus eſt
Bis denas pariter perdomuiſſe feras.

Et apud eumdem in Epigr. LIX *lib.* IV.
De Vipera electro incluſa,

Flentibus Heliadum ramis dum vipera ſerpit,
Fluxit in obſtantem ſuccina gemma feram.
Quæ dum miratur pingui ſe rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, ſepulcro,
Vipera ſi tumulo nobiliore iacet.

Epigramma ſuperius, de *Vipera electro incluſa*, reuocauit in mentem Epigramma meum ex *Maiori* etiam clauſum, ad Marcellum Fratrem, in HERACLITI caput ex electro.

En Phaëthontiadum lacrymas teſtantia, vultum
Plorantis referunt ſuccina mœſta ſenis.
Hic quàm, Marcelle, infelix! lacrymatur & vſque:
Se neque poſt obitum temperat à lacrymis.
Quin lacrymis tantùm huic oculi, dum vita, fluebant;
Defuncto, facies tota abit in lacrymas.

Et apud eumdem MARTIALEM in Epigr. Lxx. *lib.* v.
In M. ANTONIVM.

Antoni, Phario nil obiectiure Photino,
Et leuiùs tabula, quàm Cicerone nocens;
Quid gladium demens Romana ſtringis in ora?
Hoc admiſiſſet nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro,
Et tantis opibus vox tacet vna tibi.
Quid proſunt ſacræ pretioſa ſilentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

Ecce Maius: lingua vna tacente, linguæ loquentur omnes.

Arguta quoq. Concluſio ex *Maiori* eſt in Epigrammate ANACREONTIS, à MAPHAEO Card. BARBERINO ita latinè conuerſo.

Bos cornu, pedibus ſonipes, rictuque leones,
Inſidijs vulpes; vnguibus vrſa nocet.
Eſt lepori curſus velox, auibuſque volatus,
Prouida mens homini, conſiliumq. datum.
Quid pro conſilio, pennis, curſuque Puellæ,
Pro rictu, inſidijs, cornibus, vngue, pede?
Pro cunctis tantùm eſt teneris data forma Puellis:
Quin valet hæc ferro; quin nocet igne magis.

Et

Et in Epigrammate venuſtiſsimo IOSEPHI SILOS, Cleric. Regul.
DE D. MARIA MAGDALENE,

Pulchros nuda ſinus, effuſaque Magdala crines,
Illacrymans inter fercula prona ruit.
Miſcenturque epulis fletus: hinc pondere diues
Menſa gemit, largo hinc Magdalis imbre gemit.
Barbara Niliaco ſileat conuiuia luxu
Memphis, cum latio eſt gemma ſoluta Duci;
Vna Cleopatræ ditauit gemmula menſas;
Margaridas gemitu Magdala mille liquat.

Et in Epigrammate elegantiſsmo clariſsimi Vatis, VBERTINI CARRARAE Soc. Ieſu,
In CHRISTOPHORI COLVMBI laudem.

Per freta, veliuolis nunquam ſulcata carinis,
Prima triumphalis lina Columbus agit.
Cedite Peliacæ pinus, quæ robore puppis
Argiuæ intactis vela dediſtis aquis.
Veſtra fuit merces, pretioſi velleris aurum;
Indorum, huic merces, aurea terra fuit.

Et in Epigr. egregij Vatis LAVRENTII LEGATI Cremonenſis, in laudem LAVRENTIAE STROZIAE Monialis S. Dominici, quæ in ſingula totius anni ſolemnia Hymnos compoſuit.

Hymnica plectra mouens Virgo Laurentia, quid ni
Caſtior vt Sappho eſt, ſit mage culta metris?
Quin vos cum Sappho terrenæ abſcedite muſæ:
Cælicolas pangens Strozia, Muſa Poli eſt.

Et in Epigr. pulcherrimo FRANCISCI PETRAGLIAE, Tuſculani.

De nouo Tuſculo.

Vaſta ruinarum moles, cinereſque iacentis
Vrbis, & herboſis obruta tecta vijs,
Relliquiæ annorum, & Martis fragmenta Latini,
Diruta Romulidum, Tuſcula Terra, manu,
Iam gaude: viden', vt proprijs ſis aucta ruinis,
Damnaque Romulidum ſint reparata manu?
En tibi maiores tollunt noua culmina ſedes:
Arte magis clara tollere iuſſa caput.
Gaude: auguſta magis, Terra es nunc Tuſcula, quando
Surgere ſtructura nobiliore datur.

Et in Diſticho clariſsimi Oratoris, & Vatis, IANI NICII ERYTHRAEI, De Sancto SEBASTIANO ſagittis confoſſo.

En laceror ſæuis pro te nunc, Chriſte, ſagittis:
Sed mihi plura tuus ſpicula mittit amor:

Ipſum

Ipſum IANVM NICIVM, mei amantiſsimum, orantem Romæ Kal. Apr. cIↄ Iↄc xLvI. apud Patres Congregationis Generalis Soc. Ieſu, in Sacello Deiparæ Aſſumptæ, per *Maius*, concludens, ita laudaui.

Eloquij Princeps Graij; Princepſque Latini
Iure ſuo iactent tollere ad aſtra caput:
Ille, quòd orantem ſtupefacto Græcia vultu
Audit; hic, attonito Roma quòd ore ſtupet.
Grandis vtriq. honor eſt; ſed enim tibi grandior, audit,
Cum te Loyolæ Gens numeroſa, Nici.
Hæc tibi quandoquidem cunctis ex partibus Orbis
Collecta, oranti, ceu Microcoſmus adeſt.

Cauſſa antecedentis Epigrammatis, vbi Societatis Ieſu honorifica fit mentio, memini ſubſequentis Epigrammatis, à me quoque compoſiti, in honorem Sanctiſsimi ipſius Fundatoris, qui Hebræum pertinacem, cui nomen ISAC, conuertit ad Chriſtum his verbis dumtaxat:

Mane nobiſcum, Iſac.

Quod prodigium, maius fuiſſe oſtendo, prodigio IOSVE, cuius verbis ſtetit Sol, hiſce videlicet: Sol, ne mouearis contra Gabaon.

Protinus abſtinuit Sol currere, Ioſua quando,
Sol, contra Gabaon, ne mouearis, ait.
Dumque, mane, dixit, nobiſcum, Ignatius, Iſac,
Protinus à curſu deſtitit ille ſuo.

Atque

Atque fide immotus, non, vt Iudæa propago,
Horrentis Barathri ſub loca tetra ruit.
Qui legis hæc, quæ mira magis miracula cenſes?
Perpaucis verbis illicò vterque ſtetit.
Quòd ſteterit Sol, ipſe magis mirabere forſan;
Iſac quòd ſteterit, res mihi mira magis.
Sol ſtetit, inde breui, tamen occidit ille, recurrens:
Stans Iſac ſemper, neſcijt occidere.

Poſt Epigramma in honorem Sanctiſſimi Soc. Ieſu Fundatoris, aptè ſubijciam Epigramma ex *Maiori* concluſum, à me quoque compoſitum in laudem S. PETRI NOLASCO, qui etiam Fundator fuit, nempè Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, cui in cunabulis vagienti examẽ apum in dextera fauum mellis conſtruxit.

Ambroſio, Hyblæas volucres ſediſſe labellis,
Sed tibi, Petre, manu mellificaſſe ferunt.
Dulce illi eloquium præſignauere, tuamque
Captiuis placidam prædocuere manum.
Optimus augurij iudex vtriuſque, ſecundum
Grandius augurium, nobiliuſque vocet:
Nobilius tantòque canat, ſermonibus acta
Quantò, expreſſa manu, nobiliora patent.

Clauſum etiam ex *Maiori* eſt Epigramma prænobilis Vatis SIGISMVNDI REGVLI à S. SYLVERIO, Florentini, ex noſtra Religione,

In

In Cœnam, quàm maximo apparatu inſtituit Piæ Domus Pauperibus,

LEOPOLDVS MEDICES
S. R. E. CARD.

Aurea Perſarum ſileant cœnacula menſas,
Regales iactet nec Cleopatra dapes:
Nec Sybaris molles cyathis laudentur honores,
Græcia præcipuum diſſimuletque merum.
Romaque Cæſareo victrix epulata triumpho
Parcat munificas tollere in aſtra manus.
Omnia Mediceo cedant conuiuia: luxus
Illa dedit ſummus; ſumma dat hoc pietas.

Ex *Maiori* quoque, ab ingenioſiſsimo Vate CLAVDIO ACHILLINO concluſum fuit Epigramma Hetruſcum (italicè, Sonetto) in laudem LVDOVICI XIII. Galliarum Regis; quod Epigramma ipſemet ACHILLINVS in linguam latinam conuertit: ideóque vtrumque ponendum hic exiſtimaui, vt ſupra cap. 1. promiſſum fuit.

SO-

SONETTO
SOPRA
LVIGI XIII.
RE DI FRANCIA,

Che dopò la conquiſta della Roccella, venne à Suſa, e liberò Caſale.

SVdate, ò fochi, à preparar metalli,
E voi, ferri vitali, itene pronti,
Ite di Paro à ſuiſcerar' i monti,
Per inalzar Coloſsi al Rè de' Galli.

Vinſe l'inuitta Rocca, e de' Vaſſalli
Spezzò gl'orgogli a le rubelle fronti,
E machinando inuſitati Ponti
Diè fuga à i mari, e gli conuerſe in valli,

Volò quindi sù l'Alpi, e il ferro ſtrinſe,
E con mano d'Aſtrea gl'alti litigi
Temuto ſolo, e non veduto eſtinſe.

Ceda le palme pur Roma à Parigi:
Che ſe Ceſare venne, e vide, e vinſe,
Venne, vinſe, e non vide il Gran LVIGI.

Præclarè ille quidem lingua cecinit Hetruſca, nec minùs, Latina: talis eſt enim ipſius traductio.

Gallorum Regi ſtructurùs ad aſtra Coloſſos,
Folle recurrenti ſudet in æra focus.
Rupibus è Pariјs diuellat viſcera ferrum,
Scalpat & in Regis Regia ſaxa decus.
Quæ Magni Henrici potuit vitare triumphos,
Senſit Aloyſias Arx ſuperata manus.
Cornua ſenſerunt frontes effracta rebelles;
Retraxit tumidos æquoris vnda pedes:
Indeque per niueos ſaltus Rex tranſit ad Alpes;
Vincit non viſos, conciliatque Duces.
Gallica Romuleum præcedat Sequana Tybrim;
Concedat palmas Cæſar Aloyſio.
Si venit, vidit, vicit ſi prælia Cæſar,
Venit, non vidit, vicit Aloyſius.

Allatum Epigramma de LVDOVICO XIII. Galliarum Rege, reduxit in memoriam meum Diſtichon ex *Maiori*, de ampliſsimo Palatio, Pariſi js, ab ipſius Filio LVDOVICO XIV. excitato.

Orbe Domus maior: Ludouicum non capit orbis
Summè auctum excelſis actibus; ipſa capit.

Poteſt etiam inter Epigrammata ex *Maiori* concluſa, annumerari
Epigramma MARTIALIS, Lxxv. *lib.*v.

De

De POMPEIO, & Filijs.
Ex illius enim concluſione *Maius* colligitur.

Pompeios Iuuenes Aſia, atque Europa, ſed ipſum
Terra tegit Libyes; ſi tamen vlla tegit.
Quid mirum, toto ſi ſpargitur Orbe? iacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

Quam concludendi rationem ipſe imitatus fui in hoc Epigrammate
Ad FRANCISCVM MAGNVM
Comitem Mediolanenſem,
Oratorem VLADISLAI IV. Poloniæ Regis,
apud INNOCENTIVM X. Pont. Max.

Lux tibi prudentis quanta eſt, hominiſq. diſerti!
Quantum conſilij, iuſtitiæque iubar!
Sauromatæ, Auſtriaci, Hiſpani, Gallique, Italique
Spectant virtutis lumina mira tuæ.
Egreſſus Patria meritò es, Franciſce: nitere
Vno non poterant lumina tanta loco.

Hùc etiam referri poteſt ea concludendi ratio, quæ eſt in MARTIALIS Epigr. VI. in Amph. Cæſ. Blanditur Cæſari.

Belliger inuictis quòd Mars tibi ſæuit in armis,
Non ſatis eſt, Cæſar; ſæuit & ipſa Venus;
Pro-

Proſtratum vaſta Nemees in valle leonem,
Nobile & Herculeum fama canebat opus.
Priſca fides taceat, nam poſt tua munera, Cæſar,
Hæc iam fœminea vidimus acta manu.

Et in CLAVDIANI Epigr.
In Sphæram Archimedis.

Iuppiter in paruo cum cerneret æthera vitro,
Riſit, & ad Superos talia dicta dedit.
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura Poli, rerumq. fidem, legemq. virorum,
Ecce, Syracuſius tranſtulit arte Senex.
Incluſus varijs famulatur ſpiritus aſtris,
Et vitreum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit.
Iamque ſuum voluens audax induſtria mundum,
Gaudet, & humana ſidera mente regit.
Quid falſo inſontem tonitru Salmonea miror?
Aemula naturæ parua reperta manus.

Et in ſequentibus meis duobus Diſtichis.
De IESV in fœno; cuius paullò ante ortum,
Sol ariſtis coronatus apparuit.

Abiectas inter, Solem miraris, ariſtas?
Non ego, dum fœno cerno iacere Deum.

De

De ſalutiferis vinculis, & vmbra Diui Petri.

Quid mirare, Petri dare vincula tacta ſalutem?
Hanc quoque, vel fugiens, illius vmbra dedit.

Maius etiam quidpiam colligi animaduerto ex concluſione per interrogationem facta, diuerſis præmiſsis, vt patet apud MARTIALEM, in Epigr. xLvII. *Lib.* vIII.

In variè ſe tondentem.

Pars maxillarum tonſa eſt tibi, pars tibi raſa eſt,
Pars vulſa eſt; vnum quis putet eſſe caput?

Quod ingenioſè imitatus eſt inſignis PHILOMATHVS, ſic enim cecinit,

De Diebus vernis, apud Vbios, anno ᴄıc ıↄc xL.

Ningit nocte, pluit mane, afflat tertia, feruet
Sexta, gelat tum: vnum quis putet eſſe diem?

Ingenioſè, inquam, imitatus eſt, nam argumento longè diuerſo ab argumento Epigrãmatis MARTIALIS deſumpto, eius veſtigijs bene nouit inſiſtere. Ingenioſa quidem hæc imitatio eſt, & à reprehenſione prorſùs remota, qua non carent illi, qui dum alicuius compoſitionem imitantur, in eadem, vel ſimili materia verſantur. Iſti enim fures potiùs, quàm imitatores videntur. Diſce igitur

igitur, Lector, ab ingenioſo imitatore PHILOMATHO ingenioſè Vates imitari.

Poſtremò, *Maius* quoque ſignificatur illo concludendi modo, quo vſus eſt MARTIALIS, Epigr. I. in Amph. Cæſ. quod ſupra attuli cap. IV. Loco IX. ita enim concluſum:

Vnum pro cunctis Fama loquatur opus,

Hac enim concludendi ratione ſignificatur, Amphitheatrum Cæſaris præferendum.

Modoq. huic aſsimili concluſit idem MARTIALIS Epigr. XXVIII. libri eiuſdem, quo TITI, ſeu DOMITIANI Naumachiam præfert illis AVGVSTI, CLAVDII, NERONIS.

Augusti laudes fuerant, committere claſſes,
Et freta nauali ſolicitare tuba.
Cæſaris hæc noſtri pars eſt quota? vidit in vndis
Et Thetis ignotas, & Galatea feras.
Vidit in æquoreo feruentes puluere currus,
Et domini Triton ipſe putauit equos.
Dumque parat ſæuis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedeſter aquis.
Quidquid & in circo ſpectatur, & Amphitheatro,
Diues Cæſarea præſtitit vnda tibi.
Fucinus, & pigri taceantur ſtagna Neronis:
Hanc norint vnam ſecula Naumachiam.

Cum ſuperioris Concluſionis imitatione, ipſe concluſi ſubſequens Epigramma.

De admirabili memoria
Patris CAROLI à S. CAECILIA, Neapolitani
noſtræ Religionis,
Qui totum AMBROSII CALEPINI Dictionarium
mente retinebat, atque ordine fideliter
referebat.

Quòd bellatorum bene nomina cuncta referret
Rex Cyrus, mentis vis ea mira fuit.
Nec non Scipiadæ mentis vis mira, ſuorum
Cui bellatorum nomina prompta Duci.
Miraque mens Senecæ; namque hic bis nomina mille,
Ipſo, quo fuerant ordine lecta, dabat.
At Caroli hæc noſtri quota portio mentis? in illo
Cuncta, Calepinus quæ dedit Author, erant.
Cunctæ illi voces, reſque alta mente repoſtæ:
Ordine reddebat cunctaque ritè memor.
Cui mentis vis tanta fuit, vel condito ab Orbe?
Hanc ſtupeant vnam ſecula Mnemoſynen.

Iam Epigrammatum cum argutis ex *Maiori* Concluſionibus exſcriptioni finem impoſueram, cum mihi plurima Chriſtiani Orbis Epithaphia legenti, occurrit, quod ſequitur, elegans, ſuaue, candidum, ac facile intellectu, nec non argutè concluſum ex *Maiori*, quod ideo omittere nolui. Ipſum autem eſt in ſepulchrali lapide ALEXANDRI Nouo-

Nouolariæ Comitis, iuuenis,& bellicis,& litterarijs dotibus ornatiſsimi,
Flebile amici obſequium.

Pierides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Balſama dant Charites, cinnama ſpargit Amor.
Phœbus odoratas laurus, Mars ipſe amaranthos,
Nos lacrymas, raræ munus amicitiæ.

Argutè profectò ex *Maiori* concluſum: quandoquidem lacrymæ,defuncti amici cauſa effuſæ,meliùs, quàm frondes, flores,& odores,amorem teſtâtur.

Arguta Concluſio
ex Minori.

Apud MARTIALEM in Epigr. xxxvi. *lib.* viii.
AD CAESAREM DOMITIANVM.

Regia Pyramidum, Cæſar, miracula ride:
Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhaſiæ labor eſt Mareoticus aulæ?
Clarius in toto nil videt Orbe dies,
Septenos pariter credas aſſurgere montes:
Theſſalicum breuior Pelion Oſſa tulit.
Aethera ſic intrat, nitidis vt conditus aſtris
Inferiore tonet nube, ſerenus apex.
Et priùs arcano ſatietur lumine Phœbi,
Naſcentis Circe quàm videt ora patris.

Et apud eumdem MARTIALEM in Epigr. Lxx. *lib. v.*
In M. ANTONIVM.

Antoni, Phario nil obiectiure Photino,
Et leuiùs tabula, quàm Cicerone nocens;
Quid gladium demens Romana ſtringis in ora?
Hoc admiſiſſet nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro,
Et tantis opibus vox tacet vna tibi.
Quid proſunt ſacræ pretioſa ſilentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

Ecce Maius: lingua vna tacente, linguæ loquentur omnes.

Arguta quoq. Concluſio ex *Maiori* eſt in Epigrammate ANACREONTIS, à MAPHAEO Card. BARBERINO ita latinè conuerſo.

Bos cornu, pedibus ſonipes, rictuque leones,
Inſidijs vulpes, vnguibus vrſa nocet.
Eſt lepori curſus velox, auibuſque volatus,
Prouida mens homini, conſiliumq. datum.
Quid pro conſilio, pennis, curſuque Puellæ,
Pro rictu, inſidijs, cornibus, vngue, pede?
Pro cunctis tantùm eſt teneris data forma Puellis:
Quin valet hæc ferro; quin nocet igne magis.

Et in Epigrammate venuſtiſsimo IOSEPHI SILOS, Cleric. Regul.
DE D. MARIA MAGDALENE,

Pulchros nuda ſinus, effuſaque Magdala crines,
Illacrymans inter fercula prona ruit.
Miſcenturque epulis fletus: hinc pondere diues
Menſa gemit, largo hinc Magdalis imbre gemit.
Barbara Niliaco ſileat conuiuia luxu
Memphis, cum latio eſt gemma ſoluta Duci;
Vna Cleopatræ ditauit gemmula menſas;
Margaridas gemitu Magdala mille liquat.

Et in Epigrammate elegantiſsmo clariſsimi Vatis, VBERTINI CARRARAE Soc. Ieſu, In CHRISTOPHORI COLVMBI laudem.

Per freta, veliuolis nunquam ſulcata carinis,
Prima triumphalis lina Columbus agit.
Cedite Peliacæ pinus, quæ robore puppis
Argiuæ intactis vela dediſtis aquis.
Veſtra fuit merces, pretioſi velleris aurum;
Indorum, huic merces, aurea terra fuit.

Et in Epigr. egregij Vatis LAVRENTII LEGATI Cremonenſis, in laudem LAVRENTIAE STROZIAE Monialis S. Dominici, quæ in ſingula totius anni ſolemnia Hymnos compoſuit.

Hymnica plectra mouens Virgo Laurentia, quid ni
Caſtior vt Sappho eſt, ſit mage culta metris?
Quin vos cum Sappho terrenæ abſcedite muſæ:
Cælicolas pangens Strozia, Muſa Poli eſt.

Et in Epigr. pulcherrimo FRANCISCI PETRAGLIAE, Tuſculani.

De nouo Tuſculo.

Vaſta ruinarum moles, cinereſque iacentis
Vrbis, & herboſis obruta tecta vijs,
Relliquiæ annorum, & Martis fragmenta Latini,
Diruta Romulidum, Tuſcula Terra, manu,
Iam gaude: viden', vt proprijs ſis aucta ruinis,
Damnaque Romulidum ſint reparata manu?
En tibi maiores tollunt noua culmina ſedes:
Arte magis clara tollere iuſſa caput.
Gaude: auguſta magis, Terra es nunc Tuſcula, quando
Surgere ſtructura nobiliore datur.

Et in Diſticho clariſsimi Oratoris, & Vatis, IANI NICII ERYTHRAEI, De Sancto SEBASTIANO ſagittis confoſſo.

En laceror ſæuis pro te nunc, Chriſte, ſagittis:
Sed mihi plura tuus ſpicula mittit amor:

Ipſum

Ipſum IANVM NICIVM, mei amantiſsimum, orantem Romæ Kal. Apr. cIↄ Iↄc xLvi. apud Patres Congregationis Generalis Soc. Ieſu, in Sacello Deiparæ Aſſumptæ, per *Maius*, concludens, ita laudaui.

Eloquij Princeps Graij, Princepſque Latini
Iure ſuo iactent tollere ad aſtra caput:
Ille, quòd orantem ſtupefacto Græcia vultu
Audit; hic, attonito Roma quòd ore ſtupet.
Grandis vtriq. honor eſt; ſed enim tibi grandior, audit,
Cum te Loyolæ Gens numeroſa, Nici.
Hæc tibi quandoquidem cunctis ex partibus Orbis
Collecta, oranti, ceu Microcoſmus adeſt.

Cauſſa antecedentis Epigrammatis, vbi Societatis Ieſu honorifica fit mentio, memini ſubſequentis Epigrammatis, à me quoque compoſiti, in honorem Sanctiſsimi ipſius Fundatoris, qui Hebræum pertinacem, cui nomen I S A C, conuertit ad Chriſtum his verbis dumtaxat:

Mane nobiſcum, Iſac.

Quod prodigium, maius fuiſſe oſtendo, prodigio IOSVE, cuius verbis ſtetit Sol, hiſce videlicet: Sol, ne mouearis contra Gabaon.

Protinus abſtinuit Sol currere, Ioſua quando,
Sol, contra Gabaon, ne mouearis, ait.
Dumque, mane, dixit, nobiſcum, Ignatius, Iſac,
Protinus à curſu deſtitit ille ſuo.

Atque fide immotus, non, vt Iudæa propago,
Horrentis Barathri ſub loca tetra ruit.
Qui legis hæc, quæ mira magis miracula cenſes?
Perpaucis verbis illicò vterque ſtetit.
Quòd ſteterit Sol, ipſe magis mirabere forſan;
Iſac quòd ſteterit, res mihi mira magis.
Sol ſtetit, inde breui, tamen occidit ille, recurrens:
Stans Iſac ſemper, neſcijt occidere.

Poſt Epigramma in honorem Sanctiſſimi Soc. Ieſu Fundatoris, aptè ſubijciam Epigramma ex *Maiori* concluſum, à me quoque compoſitum in laudem S. PETRI NOLASCO, qui etiam Fundator fuit, nempè Ordinis B.Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, cui in cunabulis vagienti examẽ apum in dextera fauum mellis conſtruxit.

Ambroſio, Hyblæas volucres ſediſſe labellis,
Sed tibi, Petre, manu mellificaſſe ferunt.
Dulce illi eloquium præſignauere, tuamque
Captiuis placidam prædocuere manum.
Optimus augurij iudex vtriuſque, ſecundum
Grandius augurium, nobiliuſque vocet:
Nobilius tantòque canat, ſermonibus acta
Quantò, expreſſa manu, nobiliora patent.

Clauſum etiam ex *Maiori* eſt Epigramma prænobilis Vatis SIGISMVNDI REGVLI à S. SYLVERIO, Florentini, ex noſtra Religione,

In Cœnam, quàm maximo apparatu inſtituit Piæ Domus Pauperibus,

LEOPOLDVS MEDICES
S. R. E. CARD.

Aurea Perſarum ſileant cœnacula menſas;
Regales iactet nec Cleopatra dapes:
Nec Sybaris molles cyathis laudentur honores,
Græcia præcipuum diſſimuletque merum.
Romaque Cæſareo victrix epulata triumpho
Parcat munificas tollere in aſtra manus.
Omnia Mediceo cedant conuiuia: luxus
Illa dedit ſummus; ſumma dat hoc pietas.

Ex *Maiori* quoque, ab ingenioſiſsimo Vate CLAVDIO ACHILLINO concluſum fuit Epigramma Hetruſcum (italicè, Sonetto) in laudem LVDOVICI XIII. Galliarum Regis; quod Epigramma ipſemet ACHILLINVS in linguam latinam conuertit: ideòque vtrumque ponendum hic exiſtimaui, vt ſupra cap. I. promiſſum fuit.

SO-

SONETTO

SOPRA

LVIGI XIII.

RE DI FRANCIA,

Che dopò la conquiſta della Roccella, venne à Suſa, e liberò Caſale.

SVdate, ò fochi, à preparar metalli,
E voi, ferri vitali, itene pronti,
Ite di Paro à ſuiſcerar' i monti,
Per inalzar Coloſsi al Rè de' Galli.

Vinſe l'inuitta Rocca, e de' Vaſſalli
Spezzò gl'orgogli a le rubelle fronti,
E machinando inuſitati Ponti
Diè fuga à i mari, e gli conuerſe in valli,

Volò quindi sù l'Alpi, e il ferro ſtrinſe,
E con mano d'Aſtrea gl'alti litigi
Temuto ſolo, e non veduto eſtinſe.

Ceda le palme pur Roma à Parigi:
Che ſe Ceſare venne, e vide, e vinſe,
Venne, vinſe, e non vide il Gran LVIGI.

Præ-

Præclarè ille quidem lingna cecinit Hetruſca, neç minùs, Latina: talis eſt enim ipſius traductio.

Gallorum Regi ſtructurùs ad aſtra Coloſſos,
Folle recurrenti ſudet in æra focus.
Rupibus è Parijs diuellat viſcera ferrum,
Scalpat & in Regis Regia ſaxa decus.
Quæ Magni Henrici potuit vitare triumphos,
Senſit Aloyſias Arx ſuperata manus.
Cornua ſenſerunt frontes effracta rebelles;
Retraxit tumidos æquoris vnda pedes:
Indeque per niueos ſaltus Rex tranſit ad Alpes;
Vincit non viſos, conciliatque Duces.
Gallica Romuleum præcedat Sequana Tybrim;
Concedat palmas Cæſar Aloyſio.
Si venit, vidit, vicit ſi prælia Cæſar,
Venit, non vidit, vicit Aloyſius.

Allatum Epigramma de LVDOVICO XIII. Galliarum Rege, reduxit in memoriam meum Diſtichon ex *Maiori*, de ampliſsimo Palatio, Pariſijs, ab ipſius Filio LVDOVICO XIV. excitato.

Orbe Domus maior: Ludouicum non capit orbis
Summè auctum excelſis actibus; ipſa capit.

Poteſt etiam inter Epigrammata ex *Maiori* concluſa, annumerari

Epigramma MARTIALIS, Lxxv. *lib.*v.

De

De POMPEIO, & Filijs.
Ex illius enim concluſione *Maius* colligitur.

Pompeios Iuuenes Aſia, atque Europa, ſed ipſum
Terra tegit Libyes; ſi tamen vlla tegit.
Quid mirum, toto ſi ſpargitur Orbe? iacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

Quam concludendi rationem ipſe imitatus fui in hoc Epigrammate
Ad FRANCISCVM MAGNVM
Comitem Mediolanenſem,
Oratorem VLADISLAI IV. Poloniæ Regis,
apud INNOCENTIVM X. Pont. Max.

Lux tibi prudentis quanta eſt, hominiſq. diſerti!
Quantum conſilij, iuſtitiæque iubar!
Sauromatæ, Auſtriaci, Hiſpani, Gallique, Italique
Spectant virtutis lumina mira tuæ.
Egreſſus Patria meritò es, Franciſce: nitere
Vno non poterant lumina tanta loco.

Hùc etiam referri poteſt ea concludendi ratio, quæ eſt in MARTIALIS Epigr. VI. in Amph. Cæſ. Blanditur Cæſari.

Belliger inuictis quòd Mars tibi ſæuit in armis,
Non ſatis eſt, Cæſar; ſæuit & ipſa Venus;
Pro-

Proſtratum vaſta Nemees in valle leonem,
Nobile & Herculeum fama canebat opus.
Priſca fides taceat, nam poſt tua munera, Cæſar,
Hæc iam fœminea vidimus acta manu.

Et in CLAVDIANI Epigr.
In Sphæram Archimedis.

Iuppiter in paruo cum cerneret æthera vitro,
Riſit, & ad Superos talia dicta dedit.
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura Poli, rerumq. fidem, legemq. virorum,
Ecce, Syracuſius tranſtulit arte Senex.
Incluſus varijs famulatur ſpiritus aſtris,
Et vitreum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit.
Iamque ſuum voluens audax induſtria mundum,
Gaudet, & humana ſidera mente regit.
Quid falſo inſontem tonitru Salmonea mirot?
Aemula naturæ parua reperta manus.

Et in ſequentibus meis duobus Diſtichis.
De IESV in fœno; cuius paullò ante ortum,
Sol ariſtis coronatus apparuit.

Abiectas inter, Solem miraris, ariſtas?
Non ego, dum fœno cerno iacere Deum.

De

De ſalutiferis vinculis, & vmbra Diui Petri.

Quid mirare, Petri dare vincula tacta ſalutem?
Hanc quoque, vel fugiens, illius vmbra dedit.

Maius etiam quidpiam colligi animaduerto ex concluſione per interrogationem facta, diuerſis præmiſsis, vt patet
apud MARTIALEM, in Epigr. xLVII. *Lib.* VIII.
In variè ſe tondentem.

Pars maxillarum tonſa eſt tibi, pars tibi raſa eſt,
Pars vulſa eſt; vnum quis putet eſſe caput?

Quod ingenioſè imitatus eſt inſignis PHILOMATHVS, ſic enim cecinit,
De Diebus vernis, apud Vbios, anno CIↃ IↃC xL.

Ningit nocte, pluit mane, afflat tertia, feruet
Sexta, gelat tum; vnum quis putet eſſe diem?

Ingenioſè, inquam, imitatus eſt, nam argumento longè diuerſo ab argumento Epigrãmatis MARTIALIS deſumpto, eius veſtigijs bene nouit inſiſtere. Ingenioſa quidem hæc imitatio eſt, & à reprehenſione prorsùs remota, qua non carent illi, qui dum alicuius compoſitionem imitantur, in eadem, vel ſimili materia verſantur. Iſti enim fures potiùs, quàm imitatores videntur. Diſce

igitur

igitur, Lector, ab ingenioſo imitatore PHILOMATHO ingenioſè Vates imitari.

Poſtremò, *Maius* quoque ſignificatur illo concludendi modo, quo vſus eſt MARTIALIS, Epigr. I. in Amph. Cæſ. quod ſupra attuli cap. IV. Loco IX. ita enim concluſum:

Vnum pro cunctis Fama loquatur opus,

Hac enim concludendi ratione ſignificatur, Amphitheatrum Cæſaris præferendum.

Modoq. huic aſsimili concluſit idem MARTIALIS Epigr. XXVIII. libri eiuſdem, quo TITI, ſeu DOMITIANI Naumachiam præfert illis AVGVSTI, CLAVDII, NERONIS.

Auguſti laudes fuerant, committere claſſes,
Et freta nauali ſolicitare tuba.
Cæſaris hæc noſtri pars eſt quota? vidit in vndis
Et Thetis ignotas, & Galatea feras.
Vidit in æquoreo feruentes puluere currus,
Et domini Triton ipſe putauit equos.
Dumque parat ſæuis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedeſter aquis.
Quidquid & in circo ſpectatur, & Amphitheatro,
Diues Cæſarea præſtitit vnda tibi.
Fucinus, & pigri taceantur ſtagna Neronis:
Hanc norint vnam ſecula Naumachiam.

Nouolariæ Comitis, iuuenis, & bellicis, & litterarijs dotibus ornatiſsimi,
Flebile amici obſequium.

Pierides tumulo violas; Venus alma hyacinthos,
Balſama dant Charites, cinnama ſpargit Amor.
Phœbus odoratas laurus; Mars ipſe amaranthos,
Nos lacrymas, raræ munus amicitiæ.

Argutè profectò ex *Maiori* concluſum: quandoquidem lacrymæ, defuncti amici cauſa effuſæ, meliùs, quàm frondes, flores, & odores, amorem teſtãtur.

Arguta Concluſio
ex Minori.

Apud MARTIALEM in Epigr. XXXVI. *lib.* VIII.
AD CAESAREM DOMITIANVM.

Regia Pyramidum, Cæſar, miracula ride:
Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhaſiæ labor eſt Mareoticus aulæ?
Clarius in toto nil videt Orbe dies.
Septenos pariter credas aſſurgere montes:
Theſſalicum breuior Pelion Oſſa tulit.
Aethera ſic intrat, nitidis vt conditus aſtris
Inferiore tonet nube, ſerenus apex.
Et priùs arcano ſatietur lumine Phœbi,
Naſcentis Circe quàm videt ora patris.

Hæc, Auguſte, tamen, quæ vertice ſidera pulſat,
Par domus eſt Cœlo, ſed minor eſt Domino.

Et apud eumdem in Epigram. IV. *lib.* IX.

AD EVMDEM DOMITIANVM.

Quantum iam Superis, Cæſar, Cœloque dediſti;
Si repetas, & ſi creditor eſſe velis;
Grandis in æthereo licèt auctio fiat Olympo,
Coganturque Dei vendere quicquid habent;
Conturbabit Atlas, & non erit vncia tota,
Decidat tecum qua pater ipſe Deûm.
Pro Capitolinis quid enim tibi ſoluere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore poteſt?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.
Quid loquar Alciden, Phœbumq. pioſque Laconas?
Addita quid Latio Flauia templa polo?
Expectes & ſuſtineas, Auguſte, neceſſe eſt:
Nam tibi quod ſoluat, non habet arca Iouis.

Hanc ipſe concluſionem mihi imitandam propoſui in claudendo ſequenti Epigrammate,

AD FRANCISCVM MAGNVM,
Comitem Mediolanenſem
apud INNOCENTIVM X. Pont. Max.
Oratorem VLADISLAI IV. Regis Poloniæ.

Magnus es, ac Magnum celebris te Patria ſpectans,
Protinus extremas ſuadet adire plagas.

Cum

Cum modò Sauromatas cernis, Quadoſq. penetras;
Cum modò Marcomanos, Auſtriacoſque ſubis.
Hic tibi ſed paruus cùm ſit locus, ilicèt Vrbem
Euganeam, & Martis mœnia, Magne, petis.
At nec vaſta capit te Roma: Hiſpanica forſan
Excipiet, vel te Gallica terra ſinu?
Sanè ſi poſſes totum luſtrare vel Orbem,
Par tamen in toto non locus Orbe foret.
Diſcurras, & ſuſtineas, Franciſce, neceſſe eſt:
Quem tibi det, tellus non habet arcta, locum.

IACOBVS BIDERMANVS, ex *Minori* pulcherri-
mè claudit hoc pulcherrimum Epigramma
De Anachoretarum ſtudio in corporibus
affligendis.

Bella, quibus crudo multamus terga flagello,
Irataſque cuti cogimus eſſe manus,
Thebaicis olim bellata fuere colonis,
Et per Niliacos infremuere ſpecus.
Nuda alibi ſtimulant ſetoſi pectora villi,
Nudum alibi ſtringit ferrea zona latus.
Degrauat hunc rigidus centeno pondere thorax,
Vinctaque crudelis circumit oſſa chalybs.
Vlcerat hic fixis exermia membra vepretis,
Atque dolet, quoties cauſſa doloris abeſt.
Calcat hic immotis eadem veſtigia plantis,
Stanſque ſolet noctem, ſtanſque fugare diem

Quoad placet in ſummo ſtabilis manet amne Quirinus,
Namque nihil ſaxum membra molare grauat.
Ni inſtaret precibus, nunquam raperetur ab amne
Sed palmæ cupidus poſcit in amne mori.
Hunc quicunq. vides ſtabilem cum pondere in vnda,
Prodigium in Petro dixeris eſſe minus.

Itemque meum de Cilicio S. EDMVNDI Epiſcopi Cantuarienſis, quod in ignem iniectum exuri non potuit.

Aſpera quæ pauido ſpectata eſt veſtis in igne,
Quæ victrix domito veſtis ab igne redjt,
Texerat Edmundi corpus, Veneriſq. furores
Preſſerat ardentes, præualidaſque faces,
Quæ flammas tantas ſuperauerat ante, minores,
Haud mirum, ſi poſt vicerit illa rogos.

Et quod compoſui,

DE PETRO CALCEONO, mortuo, cum tonderetur.

AD TONSOREM.

Miraris, Tonſor, celeri quem forfice tondes,
Calceonus ſubito quòd cadit interitu?
Neſcis, quàm fragilis vita eſt? filo illa, piloue
Pertenui pendet iuncta; quid ergo ſtupes?
Protinus innumeros qui deles, protinus vnum
Miraris Mortem nunc ſecuiſſe pilum?

Arguta Concluſio
ex Aequali.

Apud MARTIALEM in Epigr. Lxvi. *lib.* ii.
IN LALAGEN.

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Anulus, incerta non bene fixus acu.
Hoc facinus Lalage ſpeculo, quo viderat, vlta eſt,
Et cecidit ſectis icta Plecuſa comis.
Deſine iam Lalage triſtes ornare capillos,
Tangat & inſanum nulla puella caput.
Hoc Salamandra notet, vel ſæua nouacula nudet,
Vt digna ſpeculo fiat imago tuo.

Ecce *Aequale*, vt caput tuum depilatum ſanie ſalamādræ æquè ac ſpeculum reddatur leue, expolitámq.

Et apud eumdem in Epigr. xLiii. *lib.* vii.
AD OVIDIVM.

Maximus ille tuus, Ouidi, Cæſonius hic eſt,
Cuius adhuc vultum viuida cera tenet.
Hunc Nero damnauit; ſed tu damnare Neronem
Auſus es, & profugi, non tua, fata ſequi.
Aequora per Scyllæ magnus comes exulis iſti,
Qui modò nolueras conſulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas eſt cineri me ſupereſſe meo,
Audiet hæc præſens, venturaq. turba, fuiſſe
Illi te, Senecæ quod fuit ille ſuo.

Ex *Aequali* etiam, ſeu *Pari* concluditur apud eumdem MART. Epigr.XCII. *lib*.XI. videlicet,

EPITAPHIVM CANACES.

Aeolidon Canace iacet hoc tumulata ſepulcro,
Vltima cui paruæ ſeptima venit hyems.
Ah ſcelus, ah facinus! properas quid flere, viator?
Non licet hic vitæ de breuitate queri.
Triſtius eſt leto leti genus: horrida vultus
Abſtulit, & tenero ſedit in ore lues.
Ipſaque crudeles ederunt oſcula morbi,
Nec data ſunt nigris tota labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant alia fata venire via.
Sed mors vocis iter properauit cludere blandæ,
Ne poſſet duras flectere lingua Deas.

Huius Concluſionis patet imitatio in ſequenti IO. BAPTISTAE AMALTHEI Epigr. De Puella fluuio merſa.

Deliciæ ruris, prono cum forte lacerto
Haurıret gelidas flaua Amaryllis aquas,
Illam Naiades rapidum traxere per amnem,
Plenaq. Virgineam prodidit vrna manum,
Nulla fuga inuidiæ eſt; liuor quoque Numina tangit,
Et Venerem ſyluis eripuere ſuam.
Neue Deas blanda poſſet lenire querela,
Clauſerunt celeres ora natantis aquæ.

Eſt

Eſt etiam aliqua *Aequalitas* in concluſione ſequentis CLAVDIANI Epigram. in Podagrum.

Quæ tibi cum pedibus ratio? quid carmina culpas?
Scandere qui neſcis, verſiculos laceras.
Claudicat hic verſus; hæc, inquit, ſyllaba nutat,
Atque nihil prorſus ſtare, putat Podager.

Hæc eſt *Aequalitas*: vt podager non ſtat, ita nihil ſtare putat.

At vnde tam ſubita ira Claudiani, & inurbanitas cum miſero podagro, vt cum vix ceperit eum alloqui, ab ipſo, quodammodo terga vertens, ſermonem auerterit, ſecumq; locutus ita fuerit?

Claudicat hic verſus; hæc, inquit, ſyllaba, nutat;
Atque nihil prorsùs ſtare, putat Podager.

Sanè congruentiùs inceptum cum podagro ſermonem, cum eodem abſoluere debuiſſet, idque facere ſic facillimè potuiſſet:

Claudicat hic verſus; hæc, inquis, ſyllaba, nutat;
Atque nihil prorſus ſtare putas, Podager.

Et in concluſione Epigrammatis compoſiti á IOACHIMO BELLAIO, inſcripti, Romæ veteris tumulus.

Montibus è ſeptem totum diffuſa per Orbem,
Sidera ſublimi vertice Roma tuli.

Sub

Sub pedibus terras vtroque à littore preſſi:
Atlantem tenuit dextra, ſiniſtra Scytham,
Iuppiter hos etiam diſiecit fulmine montes,
Et tumulos iuſſit corporis eſſe mei:
Incubuit capiti rupes Tarpeia noſtro,
Preſſa Quirinali pectora noſtra iacent.
Crura Palatinus, geminos hinc inde lacertos
Collis Auentinus, Vimineuſque tegunt.
Exquiliæ hinc ſurgunt, & ſurgit Cœlius illinc;
Hæc quoque ſunt pedibus facta ſepulchra meis.
Sic, quæ viua ſibi ſeptem circumdedit arces,
Mortua nunc ſeptem contegitur tumulis.

Placuiſſet mihi magis hæc concluſio, ſi non Poeta, ſed ipſamet Roma Epigramma concluſiſſet: cum enim ipſa ſuperiùs locuta ſemper fuerit, ei dem erat finis imponendus. At, inquies, eadem finem impoſuit, de ſe locuta in perſona tertia: Non placet hec interpretatio, coacta enim locutio fuiſſet, quam candidum Epigramma non admittit. Addes fortaſse: Difficile fuiſſet ſententiam illam concluſionis exprimere in prima perſona: fateor quidem, nam ego expertus ſum: tamen adhibita diligentia, ſic ipſam Romam concludentem induxi.

Sic ego, quæ ſeptem circumdabar arcibus olim
Viua, tegor ſeptem mortua nunc tumulis.

Ex *Aequali* etiam, ſi bene, Lector, animaduertis, concluditur à TRYPHONE BENTIO ſequens Epigramma in quo

Anſer ab arbore ſuſpenſus, & à Romanis iaculis petitus, ita queritur.

Quid bene facta iuuat? quid, vos ſeruaſſe, Quirites,
Et Capitolini templa ſuperba Iouis?
En iaculis ſumma pendens ex arbore, veſtris,
Poſt modò victori præda futura, petor.
Ergo non aliam tanta feritate decebat,
Quàm veſtri altricem ſanguinis eſſe Lupam.

Ex *Aequali* procedit quoque concluſio Epigrammatis FRANCISCI ROGERII, in funere MAANIS GIOERIDAE, Vxoris PETRI DE VALLE, quæ perpetuò ſui victrix, mortua eſt in prouincia Maghoſtan; quæ vox, Perſicè, Palmetum ſignificat, & Romæ in Capitolio ſepulta.

Tarpeio quæ monte iaces, Maghoſtanis ora
Te rapit, à Palmis quæ ſibi nomen amat.
Palmas inter obis, & lauros inter humaris:
Quantum habet ingenij ſors, Gioerida, tua!
Debueras, cui vita fuit victoria, tota,
Non obijſſe alio, non iacuiſſe, loco.

Ex *Aequali* etiam infertur concluſio ab AVRELIO VRSIO in ſequenti Epigrammate

Ad MAPHAEVM BARBERINVM ægrotantem.

Qui potis es dulci triſtes mulcere querelas
Carmine, & Hircanas flectere voce feras,
Frangeris, ah, nimio febris, Maphæe, calore,
Atque Machaoniam poſcis anhelus opem.
Nec tibi Apollineos prodeſt luſtraſſe receſſus,
Nec tot Lethæis eripuiſſe vadis.
Flet chorus Aonidum, crinemq. euellit, & optat
Viuere te viuo, te moriente mori.

Venuſtiſsimi huius Vatis, viciſsim ab ipſo MAPHAEO BARBERINO commendati, ſtylus clarus valde, elegans, & ſuauis ſummoperè me delectat: mallem tamen, vt ſuauitate poſtpoſita in penultimo carmine ſuperioris Epigrammatis dixiſſet potiùs aſperè, *crineſque euellit*, quàm dulciter, *crinemque euellit*, nam *crineſque euellit*, mihi legenti, non ſolùm crinium auulſionem videre videor, ſed etiam audire quamdam aſperitatem, quæ in ipſa auditur crinium auulſione: atque huius rei nullam aliam cauſam eſſe cognoſco, quàm aſperitatem, quæ eſt in pronunciatione, *crineſque*, qua *crinemque* prorsùs caret. Hanc autem artificioſam aſperitatem (vt etiam, cum opus fuit, ſuauitatem) amauit in primis *Virgilius*, vt vel ipſo ſono carminis mirè, quæ diceret, exhiberet: qua arte profectò illi æqualis adhuc nemo

mo fuit, nedum ſuperior; id quod ille non ſolùm duro litterarum concurſu conſequutus eſt, ſed etiam frequenti Ecthlipſi; quæ duo dum quidam, vt dulciſsimè canere videantur, omni ſtudio deuitant, hac admirabili rerum expreſsione carmen quidem priuant. Proinde ad laudabiliorem carminis compoſitionem, Lectorem hoc loco admonendum puto; vt aliquid aſperum ſignificaturus malit eſſe duriuſculus, quàm ſuauis, vt rei aſperitatem, aſpero etiam carmine ex arte referat: ita enim maiorem ille laudem conſequetur.

Idem AVRELIVS VRSIVS per *Aequale* claudit hoc Epigr. de VESTAE Simulacro In hortos OCTAVII CAESII tranſlato.

Sum lapis, at genitrix Diuûm, & Dea credita Veſta
Abdita, & in priſcis Veſta vocata Sacris.
Hos me Relligio, Dominuſque relegat in hortos
Prouidus, errori ne ſit in Vrbe locus.
Quàm modò, Roma, ſapis! non eſt in marmore Numen;
Tu quoque, cum coleres marmora, marmor eras.

Per *Aequale* quoque PHILOMATHVS egregiè concluſit, ſi bene, Lector, animaduertis, hoc Epigr. De Sepulcrali Vrna pro Fóte in atrijs Romanorum.

Rerum diſce vices; abit in cratera ſepulchrum;
Quoq. cinis ſteterat, mobilis vnda fluit;

Non

Non hoſpes, compeſce ſitim, ſed parciùs hauri,
Ne redeat crater, quæ fuit vrna, tibi.

Ecce *Aequale*: crater fuit olim vrna: erit nunc iterum tibi, ni parciùs hauſeris.

Neque aliena ab *Aequali* eſt concluſio Epigrammatis eiuſdem PHILOMATHI, de eadem Vrna Sepulcrali.

Marmor, quod quondam cineres, atque oſſa tegebat,
Nunc fons irriguo murmure fundit aquas.
Nempè breuis queritur trepidantia tempora vitæ,
Et, quæ ſeruauit funera, forte gemit,

Aequale etiam cognoſco in concluſione ſequentis Epigrammatis nobiliſsimi Vatis FERDINANDI FVRSTENBERGII Epiſcopi Paderbornenſis, de Bibliotheca Vrbinate

ALEXANDRI VII.

Pont. Max. liberalitate Vaticanæ donata.

Regifico quondam ſumptu, ſtudioq. parata
Feltriadum celebris Bibliotheca Ducum,
Vaticana tuas, hùc longè iuſſa venire
Munere Alexandri Principis, auget opes.
Nobilior poterat nec muneris auctor haberi,
Nec munus poni nobiliore loco.

Huius enim concluſionis ſenſus hic eſt, muneris au-
ctorem nobiliſsimum fuiſſe; nobiliſsimum pariter
locum, in quo munus poſitum.

ANDREAS BAIANVS Luſitanus grauiſſimus Orator, & Vates, à *Pari* concluſit Epigramma, quod eſt in ipſius Opere poſthumo, in Dominicas totius anni, quod Elogijs etiam, non ſolùm Epigrammatis, elegantiſsimis, maximéq. argutis exornauit. Epigrammatis autem hoc lemma eſt.

Petenda, Chriſti digna nomine, & ſanguine.

Vota preceſq. volant Cælo, ſed inania terris
Vtraque cum redolent, diſcere, lector, amas?
Da pretium precibus, vacuis da pondera votis.
Pauca loquar, Chriſti ſanguine digna petas.
Ne pete diuitias; ne gaudia, ne pete honores,
Si petis hæc; pretium ſanguinis omne negas.
Hæ nugæ: Chriſti pete ſeria nomine: Chriſti
Sanguine parta ſalus, ſanguine digna pete.

A *Pari* etiam concluſum IOSEPHI BAPTISTAE ſequens Diſtichon.

NERONIS dictum, Vrbe flagrante.

Troia parens Romæ eſt: parili ſit filia fato:
Troia ruit flammis; Roma cremata cadat.

Et Epigramma IOANNIS ANIGII,
De vindicijs D. CAROLI MAGRI
aduerſus BRVSONIVM.

Odryſium claſſis Melitenſis territat hoſtem,
Quem Cruce ſæpe fugat, ſæpe vel enſe ferit.

Tot

Tot tamen impetere Heroas Bruſonius audet,
Totque decus calamo contemerare virùm.
At tu, Magre, ſtylo Momum tam figis acuto,
Ictibus vt victus concidat ille tuis.
O tua ſors felix! retinent, te vindice, nomen
Noſtri Aſſertores nominis, & fidei.
Te quicunque leget, ſic protinus efferet ore:
Quantùm Equites gladio, tam valet iſte ſtylo.

Par quoque eſt in concluſione pulcherrimi Epigrammatis IOSEPHI SILOS,
De Virgine formoſiſsima, ictu fulminis mortua.

Formoſas inter formoſior vna puellas,
Candida dum Phrygia ſtamina pingit acu,
Intonuit latè, ſciſſuſq. remugijt aer;
Arſitq. irati flamma triſulca Iouis.
Nil moror: it volucri penna penetrabile fulmen,
Et bibit è pulchra Virgine pulchram animam.
Extinctæ ſoluunt comites pia funera; terſa
Mox lacryma, fantur talia voce pari:
Cui Cœlum, egregiam dederant cui ſydera formam,
Quàm bene cœleſti morte perempta cadit.

Et in concluſione eiuſdem SILOS Epigrammatis, de tribus Gratijs marmore expreſsis.

Tergemina hic Virgo vel in vno eſt marmore: ad vnguẽ
Factum opus, egregiæ meta ſuprema manus.

Primo flore æui vernant: forma omnibus vna
Pulchrior: eſt hilaris frons, oculiſque lepor.
Sunt Charites, nectit quas nodus amabilis: illam
Illa manu prenſat: mutuus vnit amor.
Porrigit hæc donum: capit hæc; largè illa rependit:
Quæque ſuum grato in munere munus obit.
Non humeris velum; niueo ſtant pectore nudæ:
Nempè procul fuco det ſua dona manus.
At cur in ſolido ſtant marmore? ſcilicet, vt ſint
Immota in memori pectore dona, monent.

Video etiam ab *Aequali* concluſum hoc eiuſdem Epigram.
De Homeri Iliade in nucis putamine deſcripta.

Mœonidæ quæ plectrum ingens, cecinitq; ter amplum
Ingenium, nucis in cortice clauſa vides.
Hic cædes, iræq; Ducum, mixtuſq; Pelaſga
Troiugeno, infenſa hic Numina Numinibus.
Hic clypei alliſi clypeis; hic enſibus hauſta
Pectora, & hic paſſim funera, fata, lues.
Stulte, quid horreſcis mala mundi dira? quid amplo
Ore, quid ingenti nomine magna vocas?
Exiguus ſunt cuncta labor; nempe ipſa malorum
Ilias en tota hic ſtat nuce clauſa breui.

Eiuſ-

Eiuſdemque Epigramma, quod ſequitur,
In Pſittacum, pronunciantem: Memento mori.

Quà Capitolino ſurgit Roma ardua colle,
Fortè ibam, ipſe comes ſolus euntis eram.
Cum peregrina meas facundia verberat aures,
Et ſolida expreſſit voce: memento mori.
Vertor, & aurato declamans carcere Eous
Pſittacus, hæc liquido ſæpius ore dabat.
Mox ego: cum ſyluæ tu ſis regnator Eoæ,
Cur iuuat occiduam commemorare diem?
Pennatàmne fugam, & volucris diſpendia vitæ
Par erat, vt volucris fortè moneret auis?
Quid moror? arguto monitore hoc alite diſco,
Quàm celeri penna mors inopina ſubit.

Et hoc Epigramma nobiliſſimi Vatis VBERTINI CARRARAE.
Niobe verſa in marmor.

Illa ego ſum Dolopum quondam fortiſſima matrum
Vel Cybele natis inuidioſa meis.
Nunc rigeo, gelidaſque fero ſine ſanguine venas,
Et mea iam neſcit reddere lingua ſonos.
Me flabris Boreas, flabris me verberat Auſter.
Et quatior rigidi dùm furit ira Iouis.
Siſte, viator, iter: ni mollis corda dolore
Me cernens verſam in marmora, marmor eris.

Pulcherrimè à *Pari* concludit etiam BARTHOLOMAEVS BEVERINI Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei,
Epigramma,
De Iride, in aurora Dominicæ Aſcenſionis.

Roſcidus à primo Titan ſurgebat Eoo,
Qua luce hinc victor ſidera, Chriſte, petis,
Ecce ſub occidua cum Cœli parte refulſit,
Fronte gerens placidas diſcolor Iris aquas.
Scilicet excipiunt cum tantos aſtra triumphos,
Quid mirum eſt, Arcus ſi poſuere ſuos?

Idem ex *Aequali* lepidè clauſit hoc Epigram. ad iracundum fuſte percuſſum.

Tam citò in ardentes non diſſilit atra fauillas
Impatiens, ferro vix ſemel icta, ſilex;
Tam citò non rapiunt pallentia ſulphura flammas;
Tam citò non ignes Martia puluis habet,
Vt tu præcipites igneſcis cæcus in iras:
Hinc vulgi arguto diceris ore, focus.
Fuſte igitur preſſo nulla eſt tibi cauſa querelæ:
Notum eſt, imponi ligna ſolere foco.

Et Rodulphus noſter à S. Hieronymo, Ferrarienſis, præclaro Iuuenis ingenio, à *Pari* lepidè etiam concluſit ſequens Epigramma,

De Gallinis, è Gallinario ſtatim fugientibus, mulieris aſpectu perterritis.

Intra humilis tecti penetralia, victum vbi turba
Quæ glocit, à pueri ſumere ſueta manu,
Ingreditur mulier, frugemq. vagantibus offert:
Tunc Gallina volat, grata alimenta fugit.
Fœmineum Gallina genus putat eſſe timendum;
Fœmina ſi vulpes inſidioſa rapit.

Hæc eſt *Paritas*: Gallina ſibi cauens à vulpe, cauendum ſibi putat à fœmina, quæ vulpes eſt.

Ex *Pari* etiam concluſum, Epigramma pulcherrimum mei olim Auditoris, IOSEPHI à IESV MARIA, de S. CATHARINA Alexandrina, Ex cuius reciſa ceruice lac pro ſanguine emanauit.

Virginis vt lictor ceruicem meſſuit enſe,
Eſt ſuper effuſus lacteus imber humum:
Quæ ſimul ac ſenſit niueo ſe lacte madere,
Talia lictori dicta repente dedit.
Qui tam manſuetæ ſecuiſti colla Puellæ,
Vnde tibi tantus, dire Tyranne, furor?
Certè equidem infanti quod lac tibi præbuit vber,
Vber non hominis, Tigridis vber erat.
Quàm bene nunc voluit lac Virgo effundere! lacte
Scilicet, ediſcas mitis vt eſſe ſuo.

Ego ſæpiſſimè ex *Aequali* Epigrammata concluſi, ex quibus quæ ſequuntur, ac primum in Opus æneum.

IVSSV

ALEXANDRI VII.

PONT. MAX.

Erectum Romæ in capite Baſilicæ Vaticanę.
In quo iuxta Cathedram D. PETRI, inſpiciuntur
SS. Ambroſius, Auguſtinus, Athanaſius,
& Ioannes Chryſoſtomus.
ad P. SIGISMVNDVM REGVLVM
à S. SYLVERIO.

Sigiſmunde, Petri ò quales hærentia Sedi,
Oſtendunt Populis ænea Signa Viros!
Chriſtiadum fidei tutamina fortia, Patres,
Quos meritò exornat Pontificalis honor.
Prævalidos Patres, præſtantes robore, quorum
Pectora, nulla vnquam frangere vis potuit.
Teſtis adeſt Italus ſolidæ virtutis, Achiuus
Teſtis item, teſtis totus & Orbis adeſt.
Quàm bene Alexander iubet ænea ſurgere Signa!
Petri qui Sedi nititur, æneus eſt.

De

De D. STEPHANO PROTOMARTYRE in illa verba *Act. Apoſt. cap.* 7. Ecce video Cælos apertos.

Rex eſt, qui patitur: motus premit ille, domatq;
Et parcit clemens hoſtibus vſque ſuis.
Rex eſt, dum Stephanus lapidum fert fortiter ictus,
Hoſtibus & placido pectore dat veniam.
Quid mirum, Stephanus Cœlos ſi cernit apertos?
Rege, attolluntur, iam veniente, fores.

De quadam Meretrice, Tabula coloribus expreſſa, cui ſeſe in ſpeculo contemplanti, oſsis humani capitis, à tergo elati, obiecta repente imago, timorem peperit, vitæq. conuerſionem.

Dum ſpeculo flauos capitis miratur honores,
Purpureaſque ſtupet fœmina vana genas,
Inſpecto humani capitis terretur ab oſſe,
Seque Deo, ſapiens facta, repente dicat.
Picta quidem egregiè tabula eſt, ſed paſſa ruinam
Defuncti effractum nunc caput illa gerit.
Scilicet hæc deerat capitis confractio: fregit
Hæc Morti, ad Vitam fœmina verſa, caput.

Ex *Aequali* etiam concluſa dici poſſunt ea Epigrã-mata, in quorum fine congruens quædam digno-ſcitur conſecutio: vt in fine lepidi Epigrammatis MARTIALIS, quod eſt IX. *lib.* VIII.

Ad QVINCTVM.

Soluere dodrantem nuper tibi, Quincte, volebat
Lippus Hylas: luſcus vult dare dimidium.
Accipe quàm primùm: breuis eſt occaſio lucri.
Si fuerit cæcus, nil tibi ſoluet Hylas.

Si enim Lippus cum eſſet Hylas, volebat ſoluere do-drantem, luſcus verò vult dare dimidium, con-gruenter ſequitur, vt ſi cæcus fuerit, nihil ſit ille ſoluturus.

Ex qua etiam congruenti conſecutione, ſeu rei æ-qualitate clauſum deprehendo; apud eumdem

Epigr. XXV. *lib.* XII.

IN THELESINVM.

Cum rogo te nummos ſine pignore, non habeo, inquis:
Idem, ſi pro me ſpondet agellus, habes,
Quod mihi non credis veteri, Theleſine, ſodali,
Credis colliculis, arboribuſque meis.
Ecce reum Carus te detulit: adſit agellus:
Exſilij comitem quæris? agellus eat.

Per

Per hanc congruentem rei conſecutionem à LAVREA TVLLIO, Ciceronis Liberto, belliſsimè clauſum eſt nobile Epigrãma, quod refert Plinius. De Villa CICERONIS non procul à Puteolis.

Quòd tua, Romanæ vindex clariſſime linguæ,
Sylua loco meliùs ſurgere iuſſa viret:
Atque Academiæ celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu ſub potiore vetus.
Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore leuant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Vt, quoniam totum legitur ſine fine per Orbem;
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Ex quadam quoque rei *Aequalitate* concluditur PETRI ALOIS Epigramma, cuius hoc lemma.
ABSALON è quercu pendens exanimis.

Iſacidas Dauide ſatus, formoſior inter
Ore niues, aurum vincere crine potis,
Dum rapido infelix denſam ſubit impete quercum;
Cæſarie implicita triſte pependit onus.
Nempè coma ambierit patriam quod iniqua coronam,
Hinc violata prior regia iura luit.

Et

Et Epigramma IO. BAPTISTAE BARGIOCCHI ad Chriſti Diſcipulos, qui timebant mergi, dum ille dormiret in naui.

Vos, timidæ ò mentes, plus falſa pericula terrent,
Quàm recreet præſens, qui regit aſtra, Deus?
Sic veſtro de corde fidem metus excutit ingens,
Et ſpes non rupta naufraga puppe cadit?
Hic fragor vndarum, reſoni ſunt murmura ponti,
Ante Deum lætus qui ſine lege ſalit.
Dormiat ille licèt, vigili ſat lumine cernit,
Quàm malus exagitet pectora veſtra timor.
Credite, ab hoc ſomno diſcet mox vnda quietem,
Et ſiluiſſe diù, dum ſilet ille, fretum.

Et Epigramma IO. FRANCISCI à IESV, Neapolitani, noſtræ Religionis; cuius hoc lemma. Homo puluis, & cinis.

Cur ego per ſcelerum voluo mea pectora cœnum;
Nec ceſſo impuro me temerare luto?
Cur animus cæci flammas male cælat amoris?
Corda libidinibus cur ferus ignis edit?
Puluis homo eſt: vili cœnum quoque puluere conſtat:
Eſt cinis; hinc ignem corde calente, fouet.

Hùc

Hùc etiam ſpectat concluſio ſequentis Compoſitionis Hetruſcæ, Auctoris Anonymi, à me in Latinum ſermonem translatæ.

MADRIGALE.

In lode

DELLA MADRE DI DIO

Sopra quelle parole:

Mulier amicta Sole,
& in capite eius corona Stellarum.

Siede sù trono di piropi ardente
La Vergine Reina,
C'hà di teſſuto Sol toga diuina,
E d'aſtri coronato il crin lucente.
Mà ſe giammai non chiuſe ella nel petto
Ombra di colpa, e à noi porgendo aiuto
Con generoſo affetto
Ruppe al Drago ſuperbo il fronte aſtuto,
Ben conuien'al ſuo merto,
Ch'habbia vn manto di Sol, di Stelle vn ſerto.

Traductio mea Latina.

En Virgo Regina, throno radiante Pyropis,
Vndique ſolari lumine cincta, ſedet:
Nec tantùm corpus rutilo Sol ambit amictu,
Sed quoque præcingunt Virginis, Aſtra comas.
Nullius huic vnquam culpæ fuit vmbra, ſuperbo
Verſutum colubro fregit & ipſa caput.
Iure igitur formcſam adeò Sol ambit, & Aſtris
Lucida victrici ritè corona datur.

Ex *Aequali* etiam per quamdam rei congruitatem clauditur hoc meum Epigramma,

AD CLEMENTEM X.

PONT. MAX.

Cuius Gentilitium Stemma conſtat ex Stellis.

Cui non Stēma tuū, Cœli inſtar, Maxime CLEMENS?
Cæruleo en ſpatio Stemmatis Aſtra nitent.
Quàm bene Cœligerum tibi Stemma, occludere quando
Fas tibi Cœleſtes, fas aperire fores.

Et hoc quoque meum,

AD EXCELLENTISSIMAM

D. FLAVIAM VIRGINIAM CHISIAM,

Monialem, Romæ, priùs LAVRAM dictam: ex qua Nominis mutatione proceſsit ornatiſsima Oratio, habita à Reuerendiſſ. P. F. RAYMVNDO CAPISVCCO Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro, in Templo SS. XYSTI, & DOMINICI, cum illa habitum ſuſciperet: ex qua Oratione hoc procedit Epigr.

Nomine Laura priùs, nunc Flauia diceris, inter
Viuens Virgineos, Chiſia Virgo, choros.
Cum Mundi pompa, liquiſti nobile nomen:
Nobiliore tamen nomine dicta, nites.
Nomen erat prius à lauro, nunc nomen ab auro,
Nonne aurum, laurum nobilitate præit?
Hinc flaua ex auro, viridi mage clara corona,
Cui frondes laurus præbet odora ſuas.
Nobiliore quidem par eſt, te nomine dici;
Nobilior facta es, nobiliore ſtatu.

Prçterea ex *Aequali*, argutè Epigrammata concluduntur per *Similitudinem*; quæ vt perpulchra ſit, maximèq.accommodata,ſumma opera danda eſt, niſi enim talis ſit, minùs argutè clauditur Epigr. per *Similitudinem*.

Ita claudit MARTIALIS Epigramma XXII. *lib.* in Amph. Cæſ.

DE RHINOCEROTE.

Solicitant pauidi dum Rhinocerota Magiſtri,
Seque diù magnæ colligit ira feræ.
Deſperabantur promiſſi prælia Martis:
Sed tamen is rediјt cognitus ante furor.
Namque grauem gemino cornu ſic extulit vrſum,
Iactat vt impoſitas Taurus in aſtra pilas.

Ita clauſum Epigramma in lapide ſepulchri, in quo GREGORIVS ALBERTONIVS infans, Romæ, tumulatus.

Blandidulus, nitidus, dulciſſimus, vnicus infans,
Matris deliciæ, deliciæque Patris,
Hic tegitur raptus teneris Gregorius annis,
Vt roſa, quæ ſubitis imbribus icta cadit.

Et Epigramma, præceptoris olim mei, Vatis, & Oratoris eximij, CAMILLI à S. HIERONYMO, Vrbinatis,

DE D. PHILIPPO NERIO.

Nix, & flamma gerunt in te conſortia; Neri;
Nix alget capiti; corda ſed igne flagrant.
Quis neget aſſimilem te nunc mirabilis Aetnæ?
Sic habet Aetna niues; ſic habet Aetna faces.

Et Epigramma IOSEPHI SILOS, Cler. Reg.
AD TORQVATVM TASSVM.

Chriſtiadum lectas acies, & Gallica ſigna,
Exanimiſque Dei dum monumenta canis,
Muſa tibi pietas, Deus eſt crinitus Apollo,
Laurus Idumæis Palma rigata iugis.
Barbiton electro diſtinctum diuite, & auro
Ieſſæus fidicen dona ſuperba dedit.
Eſtque Sionæus vertex pro Colle bicorni,
Caſtalius vitreo qui fluit amne Cedron.
Grandius hinc ſolito reſonas, tumulumq. Tonantis,
Taſſe, pari celebras carmine, & arte pari.
Et tua, ceu Phœbi reparabilis ales, ab vrna
Aeternam ducit fama diſerta diem.

Per eandem ego Phœnicis *Similitudinem* finem impoſui ſequenti Epigrammati,
In laudem optimi totius noſtræ Religionis
Moderatoris IOSEPHI à Viſitatione.

Præpoſiti primi Generalis nomine, Ioſeph
Clarus, & eiuſdem clarus honore nitet.
Atque illi ſimilem ſimilis prudentia monſtrat,
Et nobilis ſimili ſemper amore præeſt.
Sic primo Rectore frui, hoc Rectore, videmur:
Aſsyriæ ſimilis ſicque videtur aui.
Vt ſurgens Phœnix, Phœnix prior eſſe videtur,
Sic Ioſeph, Ioſeph cernitur eſſe prior.

Simi-

Similitudine quoque clauditur Epigramma, quod compoſui de S. SATVRNINO Epiſcopo Toloſano, qui Toloſæ à ſumma Capitolij Arce per omnes gradus præcipitatus à Paganis, Martyrij coronam adeptus fuit.

En Saturninus, præceps deiectus ab Arce,
In Cœlum, toto corpore fractus, abit.
Sic deſcendendo aſcendit: ceu ſurgere in altum,
Delapſa ex alto, flumina fracta ſolent.

Et Epigramma de PILATO inſcriptum Patri doctiſsimo, meique amantiſsimo, ANGELICO APROSIO, Auguſtiniano, quem ſic alloquor, cauſa mei ſequentis Anagrammatis, VT LAPIS, purè contexti ex litteris huius vocis, PILATVS.

Ecce, Pilatus, amans corde ignem emittit amoris,
Dum ſontem Chriſtum, dum negat eſſe reum;
Dumque ſtudet famam inſontis, vitamque tueri:
Quid tamen? indignum morte, perire iubet.
VT LAPIS, *Angelice, eſt: lapis ignem emittit; at ignem*
Non tamen, emittens deſinit eſſe lapis.

Et Epigramma, quo alloquor Auditorem olim meũ IOSEPHVM à S. MARIA, Romanum, Carmelitam Diſcalceatum; cuius Epigrammatis hoc lemma.

Vir

Vir probus ſemper humilis.

Vir, pietate grauis, plenus virtutibus heros,
Demiſſo, Ioſeph, tendit ad ima, animo.
Sic, quæ maturis pomis exuberat arbos,
Demittit ramos, pondere prona, ſuos.

Et Epigramma, quo Sapientiſsimum Senem VINCENTIVM COMNENVM ex Ord. Prædicatorum adhortor,

Vt in aduerſis gaudeat, fortiſque perſiſtat.

Optime Vincenti, ventis agitatus iniquis,
Gaude; aduerſa virum flamina ſæpè iuuant.
Vexatus duræ: parient tibi gaudia curæ;
Gaudia, Vincenti, quin mage plena dabunt.
Ventis excuſſi fluctus tolluntur in altum:
Plenior expreſſis floribus exit odor.

Arguta Concluſio
ex Diuerſo.

Apud MARTIALEM in Epigr. xLIx. *lib.* I.
De Leone, & Lepore.

Rictibus his tauros non eripuere Magiſtri,
Per quos præda fugax, itque, reditque Lepus.
Quodque magis mirum, velociùs exit ab hoſte,
Nec nihil à tanta nobilitate refert.

Tutior in ſola non eſt cum currit arena,
Mec caueæ tanta conditur ille fide.
Si vitare canum morſus, Lepus improbe, quæris,
Ad quæ confugias, ora Leonis habes.

Cum tam nobilis Epigrammatis imitatione duo illuſtria compoſuit Epigrammata, Vates egregius, maximèque argutus FRANCISCVS REMONDVS è Soc. Ieſu, quorum alterum eſt de Iona Propheta, & Ceto piſce, alterum de D. Petro in vinculis. Vtrumque ſubijciam, vt ab hoc inſigni Epigrammatographo, optimoque Martialis imitatore, optimè, Lector, diſcas imitari.

De Iona Propheta, & Ceto piſce.

Attonito Vates in Ceti ventre triumphat,
Naufragus innocuæ nobilis eſca feræ.
Non fuit ille vnquam pacata lætior vnda;
Non fuit irato tutior ille freto.
Redditur at tandem facili Piſtricis ab aluo,
Et charus fidis enatat hoſpes aquis.
Si cupis, ò Vates, poſthac vitare procellas,
Ad quæ confugias, viſcera piſcis habes.

De Diuo Petro in vinculis.

Quàm ſuaues ducit media inter vincula ſomnos!
Gaudet, & attonita regnat in arce Petrus.
Excubat ipſe ſui cuſtos, timidaſque catenas
Increpat, & vinclis paſcitur ipſe ſuis.

Erra-

Errauit patrijs nunquam mage liber in agris,
Nec iacuit placido molliùs ille toro.
Tranquilla poſthàc ſi vis requieſcere ſede,
Transfer in hæc laſſos vincula, Petre, pedes.

Ipſe quoque cum imitatione concluſionis Epigrammatis MARTIALIS concluſi hoc Epigramma.

De S. LVPO Epiſcopo Trecenſi,
Qui aſſiduis ad Deum precibus à furore Regis
Attilę Ciuitatem defendit.

Grex timet; at precibus reſerans Lupus ora, furentis
Hunnorum Regis damna cruenta fugat.
Grex felix: mihi nunc lepidè fas dicere: ſi quis
Ingruit horror, oues, currite ad ora Lupi.

Ex *Diuerſo* concluditur etiam
Apud MARTIALEM Epigr. Lxxv. *lib.* II.
De Leone.

Verbera ſecuri ſolitus Leo ferre Magiſtri,
Inſertamque pati blandus in ora manum,
Dedidicit pacem ſubitò feritate reuerſa,
Quanta nec in Libycis debuit eſſe iugis.
Nam duo de tenera puerilia corpora turba,
Sanguineam raſtris quæ renouabat humum,
Sæuus, & infelix furiali dente peremit:
Martia non vidit maius arena nefas.
Exclamare libet: crudelis, perfide, prædo,
A noſtra pueris parcere diſce, Lupa.

Hinc ego deduxi concluſionem ſequentis Epigram.
De Lupa ROMVLI, REMIQ. nutrice,
(ad quam alluſit Martialis in concluſione ſuperioris Epig.)& Matre Hebræa, proprij filij deuoratrice, expugnante TITO VESPASIANO, Hieroſolymam.

Mota Lupa extemplo mira pietate, Puellis
Admouit tremulis vbera Martigenis.
Mater at è contra, ſtimulis agitata ferinis,
Sedauit Nati corpore Hebræa famem.
Exclamare licet: crudelis, Hebræa, voratrix,
Tu Lupa, non mater; ſed Lupa mater erat.

Quod Epigramma complexus ſum etiam Tetraſticho, Diſticho, & Monoſticho ſequentibus.

Tetraſtichon.

Marte ſatis Pueris Lupa porrigit vbera: Natum
Extimulata fame, Mater Hebræa vorat.
O qualis pietas! feritas ò quanta! parenti
Es, Lupa, tu ſimilis: tu, Lupa facta, parens.

Diſtichon.

Martigenas aluit Lupa: Natum Hebræa vorauit:
Sic fuit illa parens; ſic fuit iſta Lupa.

Monoſtichon.

Eſt Lupa, Hebræa vorans: Lupa præbens vbera, mater.

Supe-

Superioris concluſionis Epigrammatis MARTIALIS memor fortaſſe, eius diligens imitatrix MARTHA MARCHINIA, bellè concluſit hoc Epigramma, De Sanctis IVSTO, & PASTORE Fratribus, Qui cum adhuc pueri, Compluti, litteris imbuerentur, proiectis in Schola tabulis ad Martyrium cucurrerunt.

Cernis, vt impauidus denſos concurrit in hoſtes
Paſtor? cui comes it Iuſtus: vterque puer.
Atque olim gratas puerili è pectore Muſas
Pellunt, & ſtudio nobiliore flagrant.
Siſte gradum, quicunque petis ſtudioſus Athenas:
A noſtris Pueris diſcere plura potes.

Eiuſdem optimæ Poetriæ eſt hoc Epigramma De S. VINCENTIO, Qui poſt multa tormenta conſtantiſſimè tolerata, in molli lecto, ſparſoque floribus exſpirauit.

Quem, nec virga furens, nec ſtridens flāma peremit,
Cui peperit molles horrida teſta roſas,
Floribus in medijs Vincentius occidit, atque
Delicijs certam ſenſit ineſſe necem.
Impietas, ne quære ignes; nam perdere cum vis,
Nil opus eſt flammis; floribus interimis.

Ex *Diuerſo* clauditur etiam
Apud MARTIALEM, Epigr. XIV. *lib.* VIII.
In crudelem amicum.

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum fortior aura nemus,
Hibernis obiecta notis ſpecularia puros
Admittunt ſoles, & ſine fæce diem.
At mihi cella datur, non tota clauſa feneſtra,
In qua nec Boreas ipſe manere velit.
Sic habitare iubes veterem, crudelis, amicum?
Arboris ergo tuæ tutior hoſpes ero.

Et apud eumdem Epigr. LXVIII. *libri eiuſdem*
Ad ENTELLVM.

Qui Corcyrei vidit pomaria regis,
Rus, Entelle, tuæ præferat ille domus.
Inuida purpureos vrat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi mune.a frigus edat,
Condita perſpicua viuit vindemia gemma,
Et tegitur felix, nec tamen vua latet.
Fœmineum lucet ſic per bombycina corpus:
Calculus in nitida ſic numeratur aqua.
Quid non ingenio voluit natura licere?
Autumnum ſterilis ferre iubetur hiems.

Et apud eumdem Epigr. Lxxxv11. *lib*.x1.
IN PARTHENOPAEVM.

Leniat vt fauces Medicus, quas aſpera vexat
Aſſiduè tuſſis, Parthenopæe, tibi,
Mella dari, nucleoſque iubet, dulceſque placentas,
Et quidquid pueros non ſinit eſſe truces.
At tu non ceſſas totis tuſſire diebus:
Non eſt hæc tuſſis, Parthenopæe, gula eſt.

Et apud AVSONIVM GALLVM, celebre Diſtichon
DE DIDONE.

Infelix Dido, nulli bene nupta marito:
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Et apud BARTHOLOMAEVM BEVERINI
Epigramma, cuius hoc lemma.
Eminentiſsimus Card. Bonuiſius longa xxv111.
dierum tempeſtate in marî detinetur.

Pone, pater Neptune, minas, frenumque procellis
Iniice, & Aeolij carceris obde feras.
Quid ſacram violas vnde ſpumante carinam?
Ah, neſcis, quantum Numinis illa vehit?
Sic ego: ſed tales medijs regnator aquarum
Fluctibus aſſurgens, edidit ore ſonos.
Mitte preces: ventos habeant plebeia ferentes
Carbaſa: tranquillè ſarcina vilis eat.

Vela moraturis pugnent Bonuiſia nimbis:
Hæc pelagi non eſt ira, ſed ambitio.

Arguta Concluſio
ex Contrario.

Apud MARTIALEM in Epigr. XXII. *lib.* I.
DE PORSENA, ET MVTIO SCAEVOLA.

Dum peteret Regem, decepta ſatellite dextra,
Iniecit ſacris ſe peritura focis.
Sed tam ſæua pius miracula non tulit hoſtis,
Et raptum flammis iuſſit abire virum.
Vrere, quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.
Maior deceptæ fama eſt, & gloria dextræ:
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

Video, per ſuperioris concluſionis imitationem, argutè clauſum à FRANCISCO REMONDO hoc Epigramma
DE D. ALEXIO.

Ipſe ſua Dominus ſeruit peregrinus in aula,
Et proprias inter gaudet egenus opes.
Ignoti maior laus eſt, & gloria Alexis:
Nunquam tam celebris, ni latuiſſet, erat.

In REMONDI vltimo carmine inſiſtit IOSEPHVS BAPTISTA in concluſione ſequentis Epigrammatis.

DE EODEM DIVO ALEXIO.

Magnanimus propriam deludit Alexius aulam;
Atria Spartano marmore ſtructa fugit.
Incaſſum glebas geminat ſibi clara Syene;
Incaſſum gazis Attalis arca tumet.
Oebalio ridet medicatas murice veſtes,
Fœmina ſignàuit quas Babylonis acu.
Aſt contemptor opum, tituloſque exoſus auitos,
Errat in ignotos, exul ab Vrbe, lares.
Patria poſt repetit neglectæ mœnia Romæ,
Et ſub neglecto fornice ſæpè latet.
Ni ſpreuiſſet opes, diues nunquam ipſe fuiſſet,
Et nunquam notus, ni latuiſſet, erat.

Quo tamen carmine adeò ſimili ſuperiori ipſe quidem non clauſiſſem Epigramma, cum in eo de eodem agatur ALEXIO, ne furti potiùs argutus eſſem, quàm boni imitatoris laudem mihi comparaſſem.

Cautè ſanè ſe geſsit EMMANVEL THESAVRVS, & quia diuerſo vſus eſt argumento, agens DE CLAVDIO TIBERIO Cæſare in imperio vitam inertem ducente, & quia ita concluſit, vt quod negando dixit REMONDVS, hic dixerit affirmando.

En

En tibi, Lector, EMMANVELIS Epigramma: lege, cautumque imitatorem imitare.

Fœminea temerata manu regalia Cæſar
Sceptra gerens, partum perdidit omne decus.
Regius illuſtrat latitantia crimina fulgor;
Quem toga celabat, prodit aperta chlamys.
Obſcurat claro in ſolio ſua nomina Cæſar:
Clarior, in latebra ſi latuiſſet, erat.

Ipſe quoque, vt REMONDVS, MARTIALEM imitatus ſum in concludendo ſequenti Epigr.
De S. IVLITTA.
Quæ potiùs Martyrium ſubire voluit, quàm thus Dijs offerre, vt bona ſibi vſurpata repetere poſſet.

Dum bona rapta petit Iulitta ab Iudice, praua
Hæc ſequitur Chriſti dogmata, raptor ait.
Iuſſaque thure Deos venerari, lite repugnat
Contempta, & moriens ad bona celſa volat.
Maiora, amiſſa, bona ſunt data, lite: fuiſſet
Si litis victrix, vicerat illa minus.

Et in concluſione ſequentis Epigrammatis,
De S. CRESCENTIO puero, S. EVTHYMII filio, qui Romæ ſub Iudice TVRPILIO decapitatus.

Nobilis Euthymij proles Creſcentius, enſi
Porrigit intrepidus fortia colla puer.

Atto-

Attonitus truncat miles: Creſcentius ecce
Ceruice abſciſſa, ſanguine ſpargit humum.
Barbare Turpili, qui vel corpuſcula mactas:
Barbare, qui natos pene, perire iubes.
Heu, feritas! puer incepit vix creſcere, quando
Impia dextra ſacrum meſſuit enſe caput.
Quid tamen impietas prodeſt? Creſcentius vſque
Creſcit, & aſcenſu fertur ad aſtra ſuo.
Maius habet, cæſus Creſcentius incrementum:
Non obtruncatus creuerat iſte minùs.

Sed afferamus alia MARTIALIS exempla diſſimili ratione clauſa clariùs per *Contrarium*. Tale eſt Epigr. LXXXIII. eiuſdem *lib.* I.

DE REGVLO.

Hæc, quæ puluere diſſipata multo
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto iacet abſoluta caſu.
Tectis nam modò Regulus ſub illis
Geſtatus fuerat, receſſeratque:
Victa eſt pondere cum ſuo repente.
Et poſtquam domino nihil timebat,
Securo ruit incruenta damno.
Tantæ, Regule, poſt metum querelæ,
Quis curam neget eſſe te Deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

Clariùs ſanè clauſum eſt per *Contrarium* allatum exemplum: quid enim ſignificat: *fuit innocens ruina*? id apertiſsimè: *ruina per ſe nocens, fuit innocens*.

Idem MARTIALIS clauſit ex *Contrario*.

Epigr. xLI. *lib.* II.

IN MAXIMINAM.

Ride, ſi ſapis, ò puella, ride,
Pelignus, puto, dixerat poeta:
Sed non dixerat omnibus puellis:
Quamuis dixerit omnibus puellis,
Non dixit tibi, tu puella non es.
Et tres ſunt tibi, Maximina, dentes,
Sed planè, piceique buxeique:
Quare ſi ſpeculo, mihique credis,
Debes non aliter timere riſum.
Quàm ventum Spanius, manumque Priſcus;
Quàm cretata timet Fabulla nimbum,
Ceruſſata timet Sabella ſolem.
Vultus indue tu magis ſeueros,
Quàm coniux Priami, nuruſque maior,
Mimos ridiculi Philiſtionis,
Et conuiuia nequiora vita,
Et qudquid lepida procacitate
Laxat perſpicuo labella riſu.
Te mœſtæ decet aſſidere matri,
Lugentique virum, piumque fratrem,
Et tantùm tragicis vacare muſis.

At

At tu iudicium ſecuta noſtrum,
Plora ſi ſapis, ò puella, plora.

Quod vltimum carmen eſt contrarium primo.
Ride, ſi ſapis, ò puella, ride.

Apud eumdem MARTIALEM clariſsima ex *Contrario* concluſio eſt,

In Epigr. xv. *lib.* VI.
De formica ſuccino incluſa.

Dum Phaethontea formica vagatur in vmbra,
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.
Sic modò quæ fuerat vita contempta manente,
Funeribus facta eſt nunc precioſa ſuis.

Ex *Contrario* quoque concluſit IANVS VITALIS Panormitanus nobiliſsimum Epigr.

DE ROMA.

Qui Romam in media quæris nouus aduena Roma,
Et Romæ in Roma nil reperis media,
Aſpice murorum moles, præruptaque ſaxa,
Obrutaq. horrenti vaſta theatra ſitu.
Hæc ſunt Roma: viden', velut ipſa cadauera tantæ
Vrbis adhùc ſpirent imperioſa minas?
Vicit vt hæc mundum, viſa eſt ſe vincere: vicit,
A ſe non victum nequid in Orbe foret.
Nunc victa in Roma victrix inuicta ſepulta eſt,
Atque eadem victrix, victaque Roma fuit.

Albu-

Albula Romani reſtat nunc nominis index,
Quæque etiam rapidis fertur in æquor aquis.
Diſce hinc, quid poſſit fortuna: immota labaſcunt,
Et quæ perpetuò ſunt agitata, manent.

Sublimis Vates PHILOMATHVS ex *Contrario* etiam ita clauſit grauiſsimum Epigramma,

Ad ROMAM eamdem.

Orbis, Roma, decus; dominatrix Roma potentum,
Quàm bene conſpicuum tollis ad aſtra caput!
Te fallax fortuna timet, quando omnia vincis,
Nec tibi, quæ humanis iam nocuere, nocent.
Vidimus annorum rabiem in tua damna furentem;
Vidimus illatas vrere tecta faces.
Ipſe quoque iratus tumidis Pater obſtitit vndis,
Albula marmoreas dum rapit vſque domos.
Pulchrior ipſa tamen vitam de funere ducis,
Et cecidiſſe iuuat, dum magis eſſe datur.
Perge igitur felix, te diua volubilis auget:
Te quoque dum tentat perdere, cæca fouet.

Sed clariùs ex *Contrario* idem PHILOMATHVS intulit Concluſionem in Epigrammate.

in obitum

FELICIS SAMVELIS RATGEIESCII.

Aeger Apollineam precibus dum quærit alumnus,
Et medicam blando carmine poſcit opem,

Labi-

Labitur in ſomnum, captus dulcedine, Apollo,
Nec puero gratas admouet vſque manus.
Sic Felix perit infelix; quàque ipſe medelam,
Et longum petijt viuere, funus habet.

Noſcitur etiam *Contrarium* in concluſione
Epigrammatis ANGELI COLOTII,
ad Tiberim.

Tibri pater, quis te ſopor occupat? aſpice quanta
Liris, quanta Atheſis laude ſuperbus eat.
Hic dum Tyrrhenum rapidus decurrit in æquor,
Sequanico infectas ſanguine vexit aquas.
Cæde illum Iſtriaca tumidum, & ſpolia ampla ferentem
Adriacus vidit Pontus, & obſtupuit.
Quare age, rumpe morã, aut alio tua flumina verte:
Imbellem Martis non decet Vrbe frui.

Et in concluſione Epigrammatis IOSEPHI SILOS
De Ara à PAVLO V. Pont. Max.
In Templo Exquilino DEIPARAE excitata.

Cernitis Exquiliæ fulgentem Virginis Aram?
Totum ardet cultu diuite Molis opus.
Dalmaticum paries vomit aurum; fulgor ab auro
Igneus, & latè fax pretioſa micat.
Ardet onyx, pictis ardent emblemata gemmis,
Vndique & Eous fulgurat igne lapis.

Sunt

Sunt hæc, magnanimus quæ dat ſpectacula Paulus,
Dum ſtruit Auguſtà tecta ſuperba manu.
Mira facit: Scythica ſcintillant mœnia flamma,
Hic, vbi iam gelida canduit Ara niue.

Et in concluſione Epigrammatis eiuſdem,
In Pueros eodem die natos, eodemq. mortuos.

Excepit lux vna duos, & pectore ab vno
Pendentes geminos aſpicit vna parens.
Par oculis afflatus honor, par fronte venuſtas,
Par vultu, roſeis purpura & vna genis.
Ambobus mox funus idem, nam ſidera frontis
Vna dies aperit, condit & vna dies.
Nec cineri gemino tumuli ſors defuit vna,
Namque vna vnanimes contegit vrna duos.
Sidera quàm bellè luſere hic, æqua gemellis;
Cum luxere pari lumine, ſorte pari.
Ite pares animæ; veſtri hæc miracula fati,
Diuidit vt quæ mors omnia, vos ſociet.

Exſcribenti mihi ſuperius Epigramma venit in mentem meum hoc, eiuſdem argumenti, & ex *Contrario* quoque concluſum,

De Sanctis GILDARDO, & MEDARDO, fratribus,
Qui eodem die nati, eodemq. Epiſcopi conſecrati,
vno quoque die de terra ſubtracti ſunt.

Mortalem ad vitam fratres venere gemelli,
Atque aſcenderunt Cœlica Regna ſimul.

Namque

Namque olim quos vna dies vitalibus annis
Tradidit, hos morti tradidit vna dies.
Imò, dies olim morti quos tradidit vna,
Hos pariter vitæ tradidit vna dies.

Atque etiam occurrit memoriæ Epigramma, quod ſequitur, à me quoque compoſitum,
In obitum IVLII ROMA S. R. E. Cardinalis,
Qui expletis annis LXVII. eadem die, eademque hora, qua natus, obijt.
Alluditur ad ea verba apud Matth. cap.xxv.
Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.

Iulius effulgens oſtro, cognomine dictus
Roma, die, atque hora, qua fuit ortus, obijt.
Quàm meritò ignaros horæ, ignaroſque diei
Perpetuò vigiles nos iubet eſſe Deus.
Quis ratus hoc eſſet venturam tempore mortem?
Tempore pro quàm non affuit illa ſuo.
Namque dies, & quæ vitæ quondam hora refulſit,
Ipſa, dies mortis, mortis & hora fuit.

Atque ex*Contrario*, ANTONIVS de ROMBISE, lepidè concluſit hoc Epigramma, cuius lemma,
Ad lapidem eijcientem aquas,
& incautos abluentem in villa Matthæa.

Admiratus aquas horti ſpectator amœni,
Conſtiterat fontis non nihil ante lacum.

Ecce cauernoſo de marmore mittitur imber,
Atque ſuperſtantis corpora tota lauat.
Ille refert, fugiens: valet hæc induſtria multùm,
Ingentes pluuias quæ ſine nube facit.

Lepidè etiam, AVGVSTINVS FAVORITVS ex *Contrario* claudit Epigramma hoc

De Fabro ferrario, diurnum quæſtum ſcenicis ludis impendente.

Poſtquam laſſauit miſeros incude lacertos
Forcipibus verſans æra recocta faber,
Scenica ridendi ſtudio ſpectacula quærit,
Quoſque locat populo mimica turba iocos.
Hinc cœna infelix, torquentes lumina, cepæ:
Sic illi riſus vertitur in lacrymas.

Perarguta ex *Contrario* concluſio eſt in Epigrammate egregij Vatis ANTONII GVZZII Neapolitani,

AD THESTYLVM

De Horologij Solaris vmbilico.

Theſtyle, quæ tineas rerum, diſcriminat horas,
Hæc mihi præcipites denotat vmbra dies.
Aſpice, vt æthereos Phœbo currente per orbes,
Iſta, ſuis gradibus, mobile ſignat iter.
Senſim decliui labuntur tempora curſu,
Vitaque non aliter, quàm leuis vmbra, fugit.

I nunc

I nunc, & ſoles homini promitte ſerenos,
Nigra ſuos quando diuidit vmbra dies.

Perargutè etiam grauiſsimus Vates ALEXANDER POLLINVS, Florentinus, clauſit ex *Contrario* hoc elegantiſsimum Epigramma,

AD
ALEXANDRVM VII.
PONT. MAX.

Inſolitis vrget niuibus dum Iuppiter Vrbem,
Et Scythico mordens horrida bruma gelu,
Exſul ab aſpectu infelix, Pater alme, beato,
Atque ſacris adytis cogor abeſſe diù.
Pelliculam, gelidoſque annis fugientibus artus
Lectulus, aut tepido dum fouet igne focus.
Cæcus Anaxagoras ſit ne, ſi olidùſue, videbo,
Anne furens, nigram quùm putat eſſe niuem:
Certè nigra cadit mihi nix hoc tempore, & atros
Improba de niueis reddidit illa dies.

Et vt POLLINVS Niuem per *Contrarium* nigram oſtendit, ita ego per diuerſum *Contrarium* calidam patefacio, in ſequenti Epigrammate.

De Niue prodigioſa,
Romæ, Non. Auguſti ſuper Monte Exquilino.

Cernitur Exquilio Niuium quæ copia colle,
Ingerit ò quantas in mea corda faces.

Virginis incendor Mariæ candoris amore;
Quæ ſignat Niuibus ſacra vbi tecta velit.
His candorem animi Niuibus ſuadentibus vror;
Et poſſum calidas dicere iure Niues.

Concluſionem quoque ex *Contrario* infert perbellè VBERTINVS CARRARA in hoc Epigr.

ZEVXIS ad aſpectum vetulæ à ſe affabrè depictæ riſu ſuffocatur.

Quam ſiccam, exanguem, vetulam natura crearat,
Zeuxidis ingenium reddidit arte pari.
Gibboſa hæc fuerat; gibboſam reddidit ille:
Et breuis hæc fuerat; reddidit ille breuem.
Stant oculi introrſum; ſine dentibus ora dehiſcunt,
Et furit in vacuo tuſſis anhela ſpecu.
Ante alios miratur opus mirabile pictor
Neſcius, & proprio luditur ingenio.
Ergo repentinos patefacta per ora cachinnos
Dum glomerat, patulo è gutture vita fugit.
Sic vetulæ exangui vitam dum pictor inanem
Reſtituit, veram ſuſtulit ipſe ſibi.

Et FRANCISCVS PETRAGLIA in hoc Epigram.

DE AFRO

Mercatore auaro, maris tempeſtate vexato.

Soluerat, & flabris dederat iam carbaſa puppis,
Diuite quam cupidus merce grauarat Afer,

Cum

Cum tumida erumpunt luctantibus æquora ventis;
Dira procelloſis cum fremit vnda minis.
Ne ruat in pelagus, mox prouida turba laborat
Mercibus eiectis euacuare ratem.
Proijcit atque ſuas extrema exterritus hora;
Quas Afer inuigilans arte pararat opes.
Sic mutat natura vices: quis crederet? en hic
Parcus erat viuens, prodigus eſt moriens.

Et ex *Contrario* noſter SIGISMVNDVS REGVLVS pulcherrimum finem imponit Epigrammati ſequenti.

DE S. BARBARA,
quam à Patris ira fugientem ſilex ſe ſtatim aperiens, excepit.

Barbara ſæuitiam greſſu properante paternam
Dum fugit, inceſtis non temeranda ſacris,
Inſequitur Genitor diſtricto feruidus enſe,
Et ſons inſontem cuſpide pene premit.
At ſubitò obiectum pandit ſua viſcera ſaxum,
Et via fit natæ, fitque parentis obex.
O pietas ingens! ingens truculentia! ſaxum
Corda paterna gerit, ſaxea corda Pater.

Paterna, nempè, *mollia, benigna*: *ſaxea*, nempe, *aſpera, crudelia*.
Huiuſmodi *Contrarium* legeram anteà in concluſione ſequētis Epigr. MARTHAE MARCHINIAE.

De SS. Pueris IVSTO, & PASTORE fratribus,
Qui genuum veſtigia lapidi impreſſa reliquerunt

Digna Deo ſoboles, Cœli duo ſidera, fratres
Dant gemini diræ membra tenella neci.
His violenta manus caput abſcidit: horrida cautes
Excepit molli corpora trunca ſinu.
Obſtupuit natura parens, dum (flebile viſu)
Molleſcunt lapides, ſaxea corda rigent.

Eadem inſignis Poetria perargutè ſanè abſoluit per *Contrarium*, hoc Epigramma
De Aquila,
quæ Diuum RICHARDVM Epiſcopum Andrienſem alarum vmbra in itinere ab æſtu defendit.

Aëris in medio pendet Regina volucrum;
Et lentum incerto tramite carpit iter,
Vt, ſacra Gargani ſcandit dum culmina montis
Antiſtes, facilem præbeat vmbra viam.
Veloces Aquilæ miraris in aëre pennas?
Miror ego hanc, ſed cum tardiùs illa volat.

Superius de *Aquila* Epigramma in memoriam reuocauit Epigramma, à me compoſitum,
De morte AESHYLI poetæ,
ex ictu Teſtudinis, ab Aquilæ vnguibus demiſſæ.
Ad DONATVM MARIAM BARBERIVM
Iuriſconſultum, meum olim Auditorem.

Præci-

Præcipiti motu, Donate Maria, ruit Mors,
Heu, ſemper: moriens Aeſchylus ecce probat.
Aeſchylus vt caueat, delabens nequid ab alto,
(Audit vt in fatis eſſe) repente necet,
Tecta fugit, caluo patefacto & vertice tantùm,
In campi fouea ſuſtinet iſte moras.
Aſt Aquilæ Teſtudo ruens ex vngue, Poetæ
In caput, hunc miſera cæde repente necat.
Mors ſemper feſtinat iter: Teſtudo vel ipſa
Occiſura, pigrum neſcit habere gradum.

De Locis, & Modis aliquot, quibus Argutia in Epigrammate comparatur.

CAPVT VI.

Hoc autem, quod ex propoſitis illatum, *Argutia* dicitur, quod, vt ſupra oſtendimus ex doctrina SCALIGERI,

Aut { *Maius*, *Minus*, *Aequale*, *Diuerſum*, *Contrarium* } eſt,

varijs Locis, Modiſque comparatur, præſertim verò decem ſequentibus,

Nempè:
- I. *Voce ambiguæ ſignificationis ;*
- II. *Dicto ambiguæ ſignificationis ,*
- III. *Voce, eadem pene litteris ;*
- IV. *Alluſione ,*
- V. *Irriſione ,*
- VI. *Hyperbole ,*
- VII. *Allegoria,*
- VIII. *Sententia,*
- IX. *Enumeratione nominũ præpoſitorum,*
- X. *Inopinato, ſiue, inexpectato .*

Quos omnes , meo de more, multis nunc exemplis , iiſque clariſsimis, dilucidabo.

LOCVS I.

De Argutia ex Voce ambiguæ ſignificationis .

Quoniam *Ambiguitas* , & in *Voce*, & in *Dicto* , ſeu , *Sententia* reperitur , tum *Vocis* , tum *Dicti ambiguæ ſignificationis* exempla afferam , duobus *Locis* conſtitutis ; Epigrammata videlicet , quorum conclusionibus ex ipſis *Locis* emanat *Argutia*. Ac primum ea afferam , in quibus *Argutia* ex *voce ambiguæ ſignificationis* : Atque vtriuſque *Ambiguitatis* exemplis breues addam notas, quibus ipſa *Ambiguitas* explanetur.

Argutia ex voce ambiguæ ſignificationis .

Eſt apud MARTIALEM in Epigr. Lx. *lib.* III.

IN CINNAM.

Eſſe nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna:
Si nil, Cinna petis, nil tibi, Cinna, nego.

Nil, vltimo loco, ſimpliciter *rem nullam* ſignificat, quod primo loco poſitum, *rem leuem* ſignificabat.

Et apud eumdem in Epigr. LXXXIV. *lib.* VI.

DE PHILIPPO.

Octaphoro ſanus portatur, Auite, Philippus:
Hunc tu ſi ſanum credis, Auite, furis.

Sanus primo loco ſignificat, *ſanum corpore*, ſecundo autem loco, *ſanum mente*.

Et apud eumdem in Epigr. LXII. *lib.* VIII.

DE PICENTE.

Scribit in auerſa Picens epigrammata charta,
Et dolet, auerſo quod facit illa Deo.

Auerſus primo loco ſignificat, *à tergo*, id eſt, *poſteriorem* chartæ *faciem*, loco altero, *contrarium, inimicum*, notat.

Et apud eumdem in Epig. LXXXIV. *lib.* IX.

IN CINNAM.

Dixerat Aſtrologus periturum te citò, Cinna;
Nec puto mentitus dixerat ille mihi:
Nam tu, dum metuis, ne quid poſt fata relinquas,
Hauſiſti patrias luxurioſus opes.
Bis quartum decies non toto tabuit anno:
Dic mihi, non eſt hoc, Cinna, perire citò?

Ioca-

Iocatus eſt Poeta, *ex ambigua ſignificatione* verbi, *perire*, quod enim Aſtrologus referebat ad vitæ finem, ipſe retulit ad finem bonorum, hæc enim Cinna, Aſtrologi prædictum metuens, conſumpſerat.

Quandam ſuperioris Epigrammatis imitationem eſſe deprehendo, in hoc THOMAE MORI Epigr.

In Prognoſten ridiculum.

Hoc anno in Regno Rex nobilis ille quieſcet
Gallorum; celeber ſcripſerat Aſtrologus,
Rex, bene vix cæpto, vita defungitur, anno:
Iam nil, ſe vates quo tueatur, habet.
Rem quidam riſu cœpit defendere: verum eſt
Augurium, Rex iam nonne quieuit? ait.

erbum *quieſcere*, Aſtrologus adhibuit ad futuræ pacis fruitionem ſignificandam, alter, ad mortem. *Argutia* quoque ex voce ambiguæ ſignificationis eſt apud eumdem MARTIALEM in Epigrammate xv. *lib.* x.

DE APRO.

Dotatæ vxori cor arundine fixit acuta:
Sed dum ludit Aper, ludere nouit Aper.

Ludere, ſecundo loco, ſignificat, *decipere*. Et in ſequenti Diſticho, quod legitur Gandani

In

In Sepulcro cuiuſdam Grammatici.

Grammaticam ſciui, multos docuiq; per annos;
Declinare tamen non potui tumulum.

Declinare, hic ſignificat, *deuitare*: ideſt; *non potui deuitare tumulum*, nempè *mortem*.

Præterea huius eiuſdem verbi participio ambiguæ ſignificationis BERNARDVS BAVHVSIVS Soc. Ieſu belliſsimè concludit ſequens Epigramma.

Tres hominis hoſtes.

Vnum Grammaticum, Logicumque, & Rhetora, vita
Hos modò vitaris, cætera tuta tibi.
Quis Rhetor? Mundus: fallax Logicus? Cacodæmō:
Semper declinans, eſt Caro Grammaticus.

Argutia etiã ex *voce ambiguæ ſignificationis*, eſt apud IACOBVM SANNAZARIVM in hoc Epigram.

DE AVFIDIO.

Dum caput Aufidio tractat Chirurgus & ipſum
Altius exquirit, quò videat cerebrum,
Ingemit Aufidius: Quid me, Chirurge, fatigas?
Cum ſubij rixam, non habui cerebrum.

Cerebrum, ſecundò locò ſignificat, *mentem ſanam*. Et in ſequenti BENEDICTI SOSSAGI Epigram.

AD CALLIODORVM.

Cum tua Vulcanus modò ſcripta abſumpſerit igni;
Crudelem quidnam vociferare Deum?

Cur

Cur Veneris coniux à ſęuo temperet igni,
Non fuit in ſcriptis ſi Venus vlla tuis?

Venus, ſecundo loco ſignificat, *gratiam, venuſtatem, pulchritudinem* locutionis;

Per *vocem ambiguæ ſignificationis* IOSEPHVS BAPTISTA, lepidè quidem clauſit hoc Epitaphium AFRANI Grammatici.

Hic iacet Afranus podagra tumulatus: iniquis
Grammaticus vitam perdidit articulis.

Articulis, nempè, *morbo articulari*.

Et MATTHIAS CASIMIRVS Soc. Ieſu, perbellè concluſit, ingenioſè ſanè excogitatum Epigramma.

AD IOANNEM CAROLVM CHODKEVIC Ducem exercituum Poloniæ aduerſus OSMANVM Imper.

Spernere ſi nolis vatis pręſagia Muſæ,
Nil in te iuris, Carole, caſus habet.
Vilneæ nuper dum mandat Apollo Thaliæ,
Grammatica nomen flectere lege tuum.
Cunctatur, dubitat, pallet, rubet, hæſitat, alget:
Hæc hilari tandem voce Thalia refert.
ChodKeuic, ait, eſt indeclinabile nomen:
Robore bella gerit; caſibus ergo caręt.

Caſibus, nempè, *euentibus aduerſis*.

Et

Et lepidiſsimè AVGVSTINVS FAVORITVS finem impoſuit ſequentibus hendecaſyllabis, miſsis Ad IOANNEM ANGELVM ALTEMPSIVM, Qui de caſtaneis elegantiſsimo carmine luſerat.

Te noſtri hendecaſyllabi ſalutant,
O nouem Iuuenis decus Sororum,
Phœbi dignus amore, laureaq;
Si non Caſtaneæ venuſtiorem
Gratæ in Melpomenem tuam, pararent
Lauream tibi frondium ſuarum.
Nam quæ montibus auijs latebant
Nuper vilia poma, te canente
Inter Caſtaliæ vireta ſurgunt,
Muſis cara iocantibus propago.
Et quæ pauper erant cibus popelli,
Poſthac interérunt potentiorum
Menſis munera, cariuſq; ementur,
Nam cum illas celebraueris canendo
Pulcris verſibus, et Marone dignis,
Vafer venditor, eſſe clamitabit
Verè Caſtaneas Maronianas.

Maronianas, nempè, *caſtaneas grandiores*, italicè dictas, *Marroni*. Vnde memini, olim Petrum Saluionum, Anconę Bibliopolam, mihi adoleſcenti, ab eo Virgilij libros exquirenti, ioco dixiſſe, ea de cauſſa Virgilium dictum fuiſſe cognomento Maronem, quia ipſius Pater *caſtaneas* venderet gran-

grandiores; tales enim *caſtaneæ* Anconæ etiam dicuntur *Marroni*.

Ex *Voce* quoque *ambiguæ ſignificationis* oritur *argutia* ſequenti meo Epigrammati, cuius hoc lemma. *Malum, ideſt, damnum,* ſeu *pœna*, vnde dictum ſit.

Vnde malo nomen? mali de nomine nomen;
Prima mali, malum cauſſa fuit vetitum.
Namque malum quamuis nolint producere vates,
Quiſque tamen longum clamitat eſſe malum.

Longum, ideſt, *diuturnum* ob dolorem, quo excruciat, non *longum* ratione quantitatis ſyllabæ; hanc enim ſemper habet breuem *malum*, cum *damnum*, *pœnamue* ſignificat.

LOCVS II.

Argutia ex *Dicto ambiguæ ſignificationis*.

Apud MARTIALEM in Epigr. xcvii. *lib.* i.
De Simulatore quodam,
ad Scazontem.

Si non moleſtum eſt, teq; non piget, Scazon,
Noſtro rogamus pauca verba Materno,
Dicas in aurem, ſic, vt audiat ſolus.
Amator ille triſtium lacernarum,
Et Bæticatus, atque leucophæatus,
Qui coccinatos non putat viros eſſe,

Ame-

Amethyſtinaſq; mulierum vocat veſtes;
Natiua laudat; habeat & licèt ſemper
Fuſcos colores, Galbanos habet mores.
Quæris, quis hic ſit? excidit mihi nomen.

Quidnam, hic, Lector, arbitraris dicere *Martialem*, dum ait: *excidit mihi nomen?* Id fortaſſe: *Illius hominis nominis oblitus ſum.* At hoc ſenſu concluſio nimis frigida efficeretur, & à *Martialis* acumine prorſus aliena: huius certè ſententiæ ambiguæ ſignificationis, argutus ſenſus hic eſt. *iam ſupra nomen indicaui: iam mihi imprudenti excidit nomen illius*, ſiue *Fuſcus* fuerit, ſiue *Galba*; quod innuerat verſu illo:

Fuſcos colores, Galbanos habet mores.

vt acutiſsimè obſeruauit LIPSIVS.

Et apud eumdem in Epigr. Lxv. *lib.* II.

IN SALETANVM.

Cur triſtiorem cernimus Saletanum?
An cauſſa leuis eſt? extuli, inquis, vxorem.
O grande fati crimen! ò grauem caſum!
Illa, illa diues mortua eſt Secundilla,
Centena decies quæ tibi dedit dotis?
Nollem, accidiſſet hoc tibi, Saletane.

Quid nam, Lector, ſignificari videtur, hac *ambiguæ ſignificationis Sententia?* id profectò. *nollem, Saletane, vt morte tibi vxor chariſſima eſſet erepta.* At *Martialis* ex *ambiguo* aliud ſignificat, neque enim

dolet

dolet morte vxoris, vt dolere videtur; ſed optima ſortuna *Saletani*, cui Vxoris morte, amplæ hæreditas dotis obuenerit; Itaque hoc carmine.

Nollem, accidiſſet hoc tibi, Saletane

id verè ſignificat: Nollem, vt centena decies, quæ tibi vxor dedit dotis, tibi, ea mortua, contigiſſent.

Et apud eumdem in Epigram. LIV. *lib.* V.

AD BASSVM

Colchida quid ſcribis, quid ſcribis, amice, Thyeſten?
Quid tibi, vel Niobe, Baſſe, vel Andromache?
Materia eſt, mihi crede, tuis aptiſſima chartis
Deucalion, vel, ſi non placet hic, Phaëthon.

Quoniam *Deucalion* aquis periit, *Phaethon* verò flãmis, dum *Martialis* videtur materiam *Baſſo* proponere, de qua agat, ex *ambiguitate* ſignificat, eius poemata digna eſſe, quæ demergantur, vel igni tradantur.

Hanc argutiam deprehendo in ſequenti Epigrammate, à C. VRSIO VELIO, è Græco in Latinum conuerſo

Ad MENESTRATVM pictorem.

Deucalione tibi, & Phaethonte, Meneſtrate, pictis,
Iam precio quo ſit dignus vterque, rogas?
Ambo ſorte ſua digni; mittiq; meretur
In flammas Phaëthon, Deucalion ſub aquas.

Ex hoc Epigrammate, lucem eſſe exortam, opinor, (nam egregiam ipſius imitationem cognoſco) MATTHIAE CASIMIRO, componenti hoc Epigramma

AD CAECILIANVM.

Cum modò Magdalios ceciniſſes carmine fletus,
Et rapidos Afræ, Cæciliane, focos,
Continuò madidæ properata volumina chartæ
Ad nos perferri, Cæciliane, iubes.
Legi: iudicium quæris de carmine? dicam:
Digna fuit lacrymis Magdalis, Afra focis.

Ex *ambiguæ* quoque *ſignificationis ſententia* oritur *Argutia*,

Apud MARTIALEM in Epigr. LXIV. *lib.* eiuſd. V.

AD PONTICVM.

Quid ſentis, inquis, de noſtris, Marce, libellis?
Sic me ſolicitus, Pontice, ſæpe rogas.
Admiror, ſtupeo: nihil eſt perfectius illis:
Ipſe tuo cedit Regulus ingenio.
Hoc ſentis? inquis. faciat tibi ſic bene Cæſar,
Sic Capitolinus Iuppiter; immò tibi.

Immò tibi. Ideſt, non, vt putabat Ponticus ſibi dictum à MARTIALE, *Cæſar*, & *Iuppiter ſic bene faciant*, ſed, *ſic tibi faciant*, ideſt, *malè*, male enim ſentiebat MARTIALIS de eius libellis, ſecùs au-

tem ironicè locutus fuerat.

Et apud eumdem in Epigr. Lxxx. *lib.* XII.

AD BITHYNICVM.

Nil in te ſcripſi, Bithynice: credere non vis;
Et iurare iubes: malo ſatisfacere.

Malo ſatisfacere, ideſt, *malo verè ſcribere contra te*, non autem, *me iuramento purgare*: quo ſenſu quid eſſet inſulſius? frigeret prorsùs concluſio.

Inter venuſtiſsima nobiliſsimi Vatis FERDINANDI FVRSTENBERGII Epiſcopi Paderbornenſis Epigrammata, per carmen continens *ſenſum ambiguum* concluſum legi Epigr. hoc, quo hìc ALEXANDRO VII. Pont. Max. felicitatem precatus eſt Cal. Ian. an. M. DC. LXVI.

Cur, muſa, longo deſides ſilentio,
Aurata quondam docta fila tangere
Citharæ loquacis? quin Alexandro nouis
Iani Calendis dona depromis noua;
Aut digna maieſtate ſi tanta nequis
Afferre, vota, nuncupans ſollemnia
Pro re Latina, proq; gente Chiſia,
Quot vere flores educat Fauonius,
Aeſtate ariſtas flaua quot numerat Ceres,
Autumnus & quot pingit vuas purpura,
Frondes quot altis decutit ſiluis hiems,
Felicitatis tot precare Maximo
Donis refertos vehat Alexandro dies
Numeris hic annus abſolutus omnibus.

Ali-

Aliquid *numeris omnibus abſolutum* dicitur metaphoricè, quod eſt omni ex parte perfectum: Verùm à FVRSTENBERGIO propriè dictum eſt, ex ingenioſa obſeruatione,

Numeris hic annus abſolutus omnibus,

in hoc enim Anno M. DC. LXVI. omnes litteræ numerales continentur.

Ex *ſenſu* quoque *ambiguo* oritur *Argutia* ſequenti IOANNIS OVVENI Diſticho,

IN QVINTVM.

Eſt nummus Nomen, Verbum, promittere: Quintus,
A quo ſperabam Nomina, Verba dedit.

Verba dedit, ideſt, *Decepit me*.

Atque idem *Ambiguum* huic meo DIſticho parit Argutiam, *De effigie ſine lingua*.

Viua eſt Effigies: ab aperto emitteret ore
Verba quoque; at linguam non habet: adde; dabit.

Dabit verba, ideſt, *decipiet te*; neque enim loquetur, cum ſit picta.

Idem Diſtichon habes, Lector, ſupra *Cap.* IV. *Loco* VI. inter exempla *Narrationis* ex *Hyperbole*; ambiguum enim, *dabit verba*, ſimpliciter acceptum, ſignificat, *loquetur*; quod de picta dictum Effigie Hyperbolicum prorſus eſt: ſed per ſuperiorem ſignificationem, magis argutam puto effici concluſionem.

Huic *Ambiguitati* ſimilis eſt *Ambiguitas*, qua vſus

ſum in concluſione ſequentis Epigrammatis
DE TIBVLLO GRATIO
petente aliquid pro iucundis narrationibus.

Facta ego iucunda auditu, nulliq; relata,
Quid mihi, ſi referam, Carole amice, dabis?
Hæc mihi ſæpe ſolet præponere verba Tibullus,
Si quid feſtiuum, quod mihi narret, habet.
Huic igitur quondam dixi de more petenti:
Aures, ſi referes læta, Tibulle, dabo.

Aures dabo, ideſt, *te audiam*.
Perlepidè quidem BARTHOLOMAEVS BEVERINI per *ſententiam ambiguæ ſignificationis* concluſit Epigramma, cuius lemma,

Coquus è Legum ſtudioſo,

Ortus ſub craſſi nebuloſo cardine Cœli,
Cui genitor veruex, mater Aſella fuit:
Præ quo, roboreo mens eſt in ſtipite maior,
Et maius fungis naſcitur ingenium.
Calceus attrita rimam qui ducit aluta,
Et pingui cucumis plus quoque ventre ſapit
Attigerat legum, muſa ridente, ſacrata
Carmina, quæ miſeris venderet inde reis.
Sed male tentatas tandem prudentior artes
Deſerit, & ſtudio nobiliore cluet.
Namque in fumoſæ clauſus regione culinæ,
Fœcundum in patinis explicat ingenium.

I, li-

I, liuor, Iuriſque nega nunc eſſe peritum,
Et cauſas triplici nunc agitare foro.
Profecit ſtudio: nam qui didiciſſe nequibat,
Ingenio condit Iura, probatque ſuo.

Perlepidè, inquam, concluſit; neque enim hic, *condit Iura*, ſignificat, *ſancit leges*, ſed *condimento perficit iurulenta*, *condit* enim, non deſcendit à *condo*, ſed à *condio*; & *Iura probat*, non ſignificat, *Leges approbat*, ſed, *guſtu Iuris qualitatem explorat*.

Appoſitè ſubdam huic Epigrammati, in quo de *Coquo* agitur, Epigramma meum,

AD IANVM NICIVM ERYTHRAEVM,

Ad quem Cocus Caponem ſine alis, quas ipſe Cocus ederat, in prandium famulo deferendum dederat; cui Epigrammati hoc Martialis carmen,
Namque Cocus domini debet habere gulam,
lepidè à me detortum, argutum dat finem.

Ponitur en Capo, truncatus vtraque ſed ala:
Parte gula, optata ſic tua, Iane, caret.
Quippe cocus ſapidas edit, quas appetis, alas;
Tuque gula audacem non ſinis eſſe cocum.
Atqui ſi talis cauſſa eſt, malè, Iane, flagellas;
Namque cocus domini debet habere gulam.

Quo, MARTIALIS, carmine ſignificauit, optimi coqui partes eſſe, non ſolùm perficere, quæ pla-

ceant, ſed callere in primis, quæ grata ſint palato Domini ſui. Ego verò verbis eius carminis ſimpliciter inhærens, in hunc ſenſum detorſi, vt videlicet ſignificet, Coquum eamdem debere habere gulam, ideſt, eiuſdem cibi eſſe edacē, cuius proprius Dominus edax eſt.

Et quemadmodum MARTIALIS carmine detorto præcedens Epigramma concluſi, ita ſubſequens hoc HORATII carmine de Arte Poet. ipſius fine in propria vſurpato ſignificatione.

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Quo ille ſignificat, eum optimum poetam eſſe, qui vtilitatem cum voluptate coniungit. Epigramma eſt ad eumdem IANVM NICIVM pro Libellis miſſis vnà cum placenta.

Vtile dum mittis, mittis quoque dulce, Libellis
Addita namque fuit gratiſſima, Iane, placenta.
Quis mihi te punctum nunc omne tuliſſe negabit?
Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Per *Sententiam* quoque, *non vnius ſignificationis* ſequens Epigramma terminaui,

AD SINONEM.

Ex his ipſius verbis apud VIRGILIVM Aeneid. *lib.* 11.

Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut quid iam miſero mihi denique reſtat?

Heu

Heu, quæ terra, Sinon, inquis, quæ me æquora poſsũt
Accipere? aut miſero quid mihi reſtat, ais?
O mea quanta tui miſeratio viſcera torquet,
Dum tibi terra, Sinon, dum negat vnda locum.
Parce tamen lacrymis; non cuncta elementa negãtur,
Aer obſequio præſtò erit, ignis ope.
Gaude: aer aderit tibi promptus, promptus & ignis;
Hæc tibi ſuppetias, crede, elementa ferent.
Te meritis celſo, famulans lætabitur aer,
Interea dignas igne vibrante faces.

Ideſt, *tibi ſuſpenſo ſibilabit aer*, *tumque ignis*, *vt comburaris*, *flammas meritas emittet*: hac enim conclusione, ex *ambiguo*, Sinoni ſceleſtiſsimo patibulum, & combuſtio ſignificatur.

Addo præterea exempla tria concluſa nimirum per duas *Ambiguitates* perquam acutas, quas ego in argutiſsimo MARTIALE obſeruaui: Quarum *Ambiguitatum* altera eſt, cum ponitur Antecedẽs, ſed ſignificatur conſequens; altera, cum ponitur Conſequens, quod tamen videtur eſſe Antecedens, ſed id, quod verè antecedit, ſignificatur.

Ambiguitas prima eſt in concluſione
Epigr. LVI. *lib.* XII.

IN POLYCARMVM.

Aegrotas vno decies, aut ſæpiùs anno;
Nec tibi, ſed nobis, hoc, Polycarme, nocet.
Nam quoties ſurgis, ſoteria poſcis amicos:
Sit pudor: ægrota iam, Polycarme ſemel.

Aegrota ſemel, ideſt, *morere*; id enim ſequitur, ſi ſemel quis ægrotauerit; non enim è morbo conualeſcet. Et ſic, Lector, vides clariſſimè, *Aegrota ſemel*, eſſe antecedens; ſed conſequens ſignificari: ægrotatio enim antecedit, mors verò cõſequitur.

Ambiguitas altera eſt in concluſione Epigrammatis XXXIII. *lib.* IV.

AD SOSIBIANVM.

Plena laboratis habeas cum ſcrinia libris,
Emittis quare, Soſibiane, nihil?
Edent hæredes, inquis, mea carmina: quando?
Tempus erat, iam te, Soſibiane, legi.

Ex *ambiguo* Martialis imprecatur mortem *Soſibiano*; per conſequens, quod antecedens videtur, ſignificans id, quod verè antecedit: non enim, vt videtur, antecedens eſt, *Tempus erat, iam te legi*, ſed conſequens, vult enim *Soſibianus*, vt ipſo mortuo hæredes libros edant; per hoc autem conſequens, ſignificat id, quod verè antecedit, ideſt, ipſum eſſe iam mortuum, nam niſi prius mortuus ſit, libri per hæredes edendi non poterunt legi. Itaque, per hoc conſequens

Tempus erat, iam te, Soſibiane legi,

ſignificatur hoc verè antecedens

Tempus erat, iam te, Soſibiane, mortuum eſſe.

Et ſic ex *ambiguo*, Martialis imprecatus mortem Soſibiano; ac ſi dixiſſet: *Morere tandem, vt poſſis*

poſſis legi. Eadem planè *Ambiguitas* eſt apud eumdem MARTIALEM in concluſione Epigrammatis LXXIV. *lib.* XII.

AD CATVLLVM.

Hæredem tibi me, Catulle, dicis:
Non credam, niſi legero, Catulle.

Niſi legero, ideſt, *niſi mortuus fueris*: defuncto enim teſtatore legitur teſtamentum: atque ita patet, *niſi legero*, conſequens eſſe, poſitum pro antecedenti, niſi mortuus fueris.

Quod acutiſsimum *Ambiguitatis* genus qui ignorauerit, putabit profectò, *niſi legero*, eſſe aliquid antecedens, atque id ſignificare, *niſi legero, antequam moriaris*, atque eadem ratione intelliget, in ſuperiori Epigrammate, *tempus erat, iam te legi*, ideſt, *tempus erat, multò ante mortem te legi*. Quibus concluſionibus ſi hic ſenſus ineſſet, quid eſſet frigidius? quid ineptius? omni prorsùs carerent argutia, neque ipſæ argutiſsimi Vatis, ſed frigidiſsimi hominis concluſiones exiſtimarentur.

LOCVS III.

Argutia ex voce, eadem pene literis.

Apud MARTIALEM in Epigr. xcix. *lib.* I.

AD FLACCVM.

Litigat, & podagra Diodorus, Flacce, laborat;
Sed nil Patrono porrigit; hæc chiragra eſt.

Quis non videat, hinc lineas duxiſſe ſuas IOANNEM OVVENVM, non ſine nota manifeſti furti? licèt ipſe furtum arte quadam occultauiſſe crediderit, non attributa videlicet, eidem litigāti, (vt factumeſt à MARTIALE) ſed cauſidico podraga, ſic enim

IN PONTICVM clientem.

Pontice Cauſidico nil porrigis; iſta chiragra eſt:
Ille pedem pro te non mouet, hæc podagra eſt.

Et apud eumdem MARTIALEM in Epigr. xvii. *libri* vi.

IN CINNAMVM.

Cinnam, Cinname, te iubes vocari:
Non eſt hic, rogo, Cinna, barbariſmus?
Tu ſi Furius ante dictus eſſes,
Fur iſta ratione dicereris.

Præte-

Præterea ex hoc loco emanauit eidem *Argutia* in concluſione Epigrammatis Hyperbolici in *Lupū*, à me ſupra poſiti *Loco* VI. *cap.* IV.
Concluſio autem hæc eſt:

Erraſti, Lupe, littera ſed vna;
Nam quo tempore prædium dediſti,
Mallem, tu mihi prandium dediſſes.

Et apud PICTORIVM in Epigrammate
AD LINVM.

Vade vltrà Boream; calidam tranſcende Syenen;
Teque latebroſis occule Cimmeriis.
Quò te cunque feres, turpis comitabitur vſus:
Laſſari longa neſcius ille mora eſt.
Si, quibus obrueris, mens eſt explodere peſtes,
Eſt opus, eſſe alium te, Line, non alibi.

Et apud HERCVLEM STROZAM in Epigr.
De Callirhoe, quæ viua ſepulta fuit.

Bis vixit, ſemel orta; bis hoc compoſta ſepulchro eſt,
Poſt ſua Callirhoe funera facta parens.
Fœta erat; exanimis tumulatur; at excita partu
Poſcit opem; eruitur: mox parit, atque perit.

Superiori Epitaphio ſubdo alterum, cui *argutia* ex huius generis *vocibus diuerſis, litteris pene eiſdem.*

Quem

Quem niue nocte peto, nucis hic me ſtipite cædit:
Sic mihi nix, nox, nux, nex fuit ante diem.

Et apud THOMAM MORVM in Epigr.
De TVSCO potore.

Perdis, ait Tuſco medicus, tua lumina vino:
Conſultat ſecum, quid velit ergo ſequi.
Sidera, terra, fretumq. ſolent quæcumque videri,
Omnia ſunt, inquit, viſa, reuiſa mihi
Multa mihi ſed vina tamen guſtanda ſuperſunt,
Multa refert annus cum noua muſta nouus.
Iam certus, firmuſque: Valebitis, inquit, ocelli:
Nempè ſatis vidi, non ſatis vſque bibi:

Et apud IVLIVM CAESAREM SCALIGERVM, in Diſticho.
DE VASCONIA.

Non temerè antiquas mutat Vaſconia voces,
Cui nihil eſt aliud viuere, quàm bibere.

Et apud M. ANTONIVM MVRETVM, in Epigrammate.
IN CAROLVM CALIANTHEVM.

Philoſophum te dicis, & hoc te nomine iactas,
Præ te omnes reliquos vt nihil eſſe putes.
Nec tamen, aut rerum cauſas, & pondera noſti,
Aut aliud, nomen quo mereare Sophi.

Vna

Vna tuis titulis addenda eſt littera, Carle,
Nec mihi philoſophus, ſed philoſomphus eris.

Et apud SABINVM in Epigrammate
De Aſtrologo, & Ruſtico.

Dixerat Aſtrologus, Cœlum ſine nube futurum,
Principe ſyluarum luſtra petente ſuo.
Dixerat at contra, ruiturum nubibus imbrem,
Vertere conſuetus bobus arator humum,
Vix ingreſſus erat Princeps nemus ilice denſum,
Cum ſubitò pluuiæ præcipitantur aquæ.
Laudat aratorem Princeps, ipſumque docere
Aſtra, ſed Aſtrologum ſumere raſtra iubet,

Pulcherrimè ex his vocibus, IOSEPHVS SILOS
abſoluit ſequens Epigramma,
De HERACLIO Imp.
Crucem ferente habitu triumphali.

Iam fulua Cæſar ſpectandus iaſpide, & auro,
Sacra triumphali ſyrmate ſigna vehit.
Mortaliſque Dei miſeranda cæde cruentum,
Iam ſubit in montem diuite vectus equo.
Cum medio ſonipes phaleratus tramite ſiſtit,
Nec potis eſt cœptum pergere anhelus iter.
Fræna quatit Cæſar, mox ilia lancinat auro;
Stat tamen, & lentus ſpicula temnit equus.
Diſce, Heros, ſapiens quæ te docet alipes: audin'?
Hæc

Hæc tibi, dum modico tempore ſiſtit, ait:
Rubra cruentato ſatis eſt ſua purpura ligno,
Heracli, ex humero ſupplice pone tuam.
Pro gemma gemitus, pro luxu amplectere luctum;
Pro trabea hanc nudus terga reſume trabem.

Et hoc,

De Simia acu pingente.

Vidit acu artifici variantem lina puellam
Simia, Arachnæa & telam animare manu;
Cumq; Mineruali poſita mox cuſpide Virgo
Feſſa abit, & cedit mox reditura, loco.
Simia, correpto ſuccedit ſtamine, telæ
Inſidet, & Phrygium iam meditatur opus.
Æmula iam pingit bellè, iamq;, itq; reditq;
Cuſpis, & inſolito pollice currit acus.
Incautam cum pungit acus, ſubitoq; dolore
Inſanit, iacit & carbaſa, ſtamen, acum:
Dum varias telam, te, Simia, tela cruentant;
Pungere tu ſcis, non pingere lina manu.

Et lepidiſsimè BERNARDVS BAVHVSIVS concludit ſequens Epigramma, arrepto ab HORATIO FLACCO, carmine od.1.*lib*.1.

Mæcenas atauis edite regibus,

ipſius vltima voce immutata duarum litterarum adiectione.

In Lycam è remige Equitem factum.

Remigibus genitus, liniq; hamiq; magiſtris,
Squamigerum quibus eſt fallere cura gregem

Nunc

Nunc fertur neſcire Lycas, nomenq;, genuſque,
Splendidus è nauta paupere factus eques.
Nunc illum madidi generis pudet, atque parentum,
Et matri nuper, quænam, ait, hæc anus eſt?
Ante Lycas fuerat; finxit ſibi nobile nomen,
Factus Mæcenas, qui fuit ante Lycas.
Sicq; ſalutatur cunctis: ſalue & mihi: ſalue,
Mæcenas atauis edite remigibus!

Vox quoque *diuerſa, eadem pene litteris* parit *argutiam* ALOYSII CERCHIARII Epigr. in quo, OCTAVIVS AVGVSTVS CAESAR, corpus ALEXANDRI, corona aurea impoſita, ſic floribus aſpersis veneratus ſic loquitur.

Tollite marmoreum Pario de pegmate culmen,
Vt pateant oculis oſſa ſepulta meis.
Iſtenè Alexander, rerum qui pondere magnus
Audijt, & totus quo minor Orbis erat?
Vnus Pellæum Iuuenem non ceperat Orbis,
Et modò defunctum tam breuis vrna capit?
Siſtite me Auguſtum Romanæ dicere gentes:
Pro Auguſto Anguſtus dicier inde volo.

Et Epigrammati IO. FRANCISCI à IESV, Neapolitani, ex noſtris Patribus, De Aguis, & Hædis in extremo iudicio.

Cum pereunte Deus iam formidabilis orbe,
Pro meritis Iudex omnibus vnus erit,

Ille

Ille hædos, Agnus Patris, diſiunget ab Agnis;
Hædis læua, Agnis ſed loca dextra dabit.
Qui fuerit magnus meritis, numerabitur Agnus:
Qui fædus fuerit moribus, hædus erit.

Et ſequentibus IOSEPHI BAPTISTAE Diſtichis.
In malum Prætorem.

Cum peccant ciues, auro tu crimina penſas:
Id mala corrigere eſt, an bona colligere eſt?

In malum Poetam abſtemium.

Ex vite accipiunt longæuam carmina vitam;
Abſque mero nullus creditur eſſe Maro.

Poeta Pauperrimus.

Vana mihi vena eſt; alios ridete, Camoenæ;
Quid mihi cum fama, ſi toleranda fames?

Sequentiq: Epigrammati meo,
Ad ipſum IOSEPHVM BAPTISTAM,
De quibuſdam conuiuis celerrimè edentibus,
ex hoc loco emanauit *Argutia*.

Seria non ſemper (noſcis, chariſſime muſis
Ioſephe) inſpirant muſæ; indulgere iocoſis
Interdum iuuat, & lepidis dare carmina rebus.

Carmi-

Carmina læta igitur, facili lege fronte, Maronis
Carmine quæ lecto mihi ſuggeſſere ſequenti:
Tum verò incumbunt: vrget præſentia Turni.
Iam primis poſitis epulis, multiſq. paratis
Carnibus elixis, varijs quoque carnibus aſſis
Illatis, graue mazonomum quamplurimo onuſtum
In menſam infertur, turdo; tunc promptiùs omnis
Furcinulam exercet, cultrum, denteſq., volucris
Carnibus vt valdè ſapidis ſaturetur obeſæ.
O quàm conuiuas agiles bona fercula reddunt!
Miranti celeres motus, cauſſamq; roganti
Conuiuas Domino, quemdam dixiſſe facetè,
Feſtiuèq; ferunt: vrget præſentia turdi.

Ac meo pariter,

AD LAVRENTIVM à S. XYSTO,
ex noſtris Patribus,
DE ANTONIO DE ALPHONSIS,
Qui inter putādum domeſticam vitem pergulanam,
è ſcalis in puteum decidit, perijtque.

Infidis nixus ſcalis Antonius, annis
Prægrauis, intentus, Laurens, de more, putanda
In vite, infelix obijt; tunc namque repente
Deſeruere ſenem ſcalæ, puteuſq; ruentem
Excepit: non ille vnus fuit ergo putator:
Falce ſenex vitem, vitam mors falce recidit.

LOCVS IV.

Argutia ex Alluſione.

Multiplex eſt *Argutia*, quæ ex *Alluſione* oritur Epigrammati, ad plurima enim fieri ſolet *Alluſio*, frequentiùs verò ad Hiſtorias, Fabulas, Stemmata, Nomina, atque etiam Cognomina,

Argutia ex *Alluſione* eſt

Apud MARTIALEM in Epigr. xxi. *lib.* I.
AD CAECILIANVM.

Dic mihi, quis furor eſt? turba ſpectante vocata,
Solus boletos, Cæciliane, voras?
Quid dignum tanto tibi ventre, gulaq; precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Et apud eumdem in Epigr. xLIV. libri eiuſdem
AD MANCINVM.

Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,
Et poſitum eſt nobis nil, here, præter aprum.
Non, quæ de tardis ſeruantur vitibus vuæ,
Dulcibus aut certant quæ melimela fauis;
Non pyra, quæ lenta pendent religata geniſta,
Aut imitata breues punica mala roſas.
Ruſtica lactantes nec miſit fiſcina metas,
Nec de Picenis venit oliua cadis.
Nudus aper, ſed & hic minimus, qualiſq; necari
A non armato pumilione poteſt.

Et

Et nihil inde datum eſt; tantùm ſpectauimus omnes,
Ponere aprum nobis; ſic & arena ſolet.
Ponatur tibi nullus aper poſt talia facta:
Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

Et apud eumdem in Epigr. Lxxiii. *lib.* ix.
De Leone, & Ariete.

Maſſyli leo fama iugi, pecoriſq; maritus
Lanigeri, mirum qua poſuere fide.
Ipſe licèt videas, cauea ſtabulantur in vna,
Et pariter ſocias carpit vterque dapes.
Nec fœtu nemorum gaudent, nec mitibus herbis;
Concordem ſatiat ſed rudis agna feram.
Quid meruit terror Nemees, quid portitor Helles,
Vt niteant celſi lucida ſigna Poli?
Sidera ſi poſſent, pecudeſq; feræq; mereri;
Hic aries aſtris, hic leo dignus erat.

Pulcherrima eſt *Alluſio* in HIERONYMI
AMALTHEI Epigrammate,
DE ACONE, & LEONILLA.

Lumine Acon dextro, capta eſt Leonilla ſiniſtro,
Et potis eſt formà vincere vterque Deos.
Blande puer, lumen, quod habes, concede parenti:
Sic tu cæcus Amor, ſic erit illa Venus.

Pulcherrimè etiam per *Alluſionem* ſublimis vates PHILOMATHVS concluſit Epigramma De Commentarijs CESARIS, à mure corroſis.

Tot poſt emenſos Orbis, pelagiq;labores,
Dextera, quæ geſſit bella, legenda dedit.
Dux idem, et ſcriptor, ferro, calamoq; ſuperbus,
Enatat, & doctas per freta ſeruat opes.
Neptunum, Martemq; diù, et Saturnia victrix
Prælia vitarat pagina ſorte ſua.
Auctoris ràpitur fatis; enaſcitur hoſtis
Vſque domi, & domino poſthuma bella mouet.
Dum reſidet pluteis, accedit ad oſcula Brutus
Alter, & infenſo ſpicula dente tegit.

Vt etiam HIERONYMVS ALEANDER, Epigr. In creationem PAVLI V. Pont. Max. cuius Stemma Gentilitium, Aquila, & Draco.

Quæ miſeras pellexit oues dementia, cæco
Tramite quæ ſanctum deſeruere gregem?
Principe ſub Paulo diſperſum coget ouile.
Vna fides, vnus conciliabit Amor.
Nimirum qui Aquilæ potuit iunxiſſe Draconem,
Diſſidijs poſthac non ſinet eſſe locum.

Et ingenioſiſsimè MATTHIAS CASIMIRVS clauſit Epigramma, AD IO. CAROLVM CHOD KEVIC

Du-

Ducem exercituum Poloniæ,
In cuius Stemmate littera M,
ſic inuerſa, W.

Magnus Alexander, Magnus Pompeius habetur:
Magnus habebaris, Carole, Magnus, Otho.
Scilicet hos Magnos magni fecere triumphi:
Te maior Magnum, Carole, palma facit.
Perlege ſtemma tuum: vincis te, vincis & hoſtem:
Hic, quæ terra legi non putat, aſtra legunt.
Si dubitas, hoc ipſe Deo da Stemma legendum;
De Cælo Magnum Maximus ipſe leget.

Cum *Alluſione* quoque ad Stemma concluſa eſt præſtantiſsimi vatis SEBASTIANI BALDINI ſequens Hetruſca poetica compoſitio, ab amiciſsimo CAROLO SINIBALDO latinè conuerſa, quam ſubijciam.

SONETTO

Nell'aprirſi di nuouo l'Accademia

DE' SIGNORI HVMORISTI

d'ordine di N. S.

PAPA ALESSANDRO VII.

FEbo fuggito al Ciel, più non potea
De la ſua cetra d'or toccar le corde;
Atterrite le Muſe, e al canto ſorde,
La lira al ſecco Allor rotta pendea.

L'Eco di Pindo ancor muta giacea,
Se fù dianzi canora, e al ſuon concorde;
Ogni più dotto Cigno al fin diſcorde,
E à l'armonia ribelle egro tacea.

Ripigliate le Cetre: ecco il Riſtoro:
Regna Aleſſandro, e vuol, che da l'Occaſo
A l'Orto l'Ombre à voi ſpanda l'Alloro.

Ecco ne l'Aſtro ſuo Febo è rimaſo:
Anzi vi cinge il crin co'i Rami d'oro;
E in ogni Monte ſuo v'apre vn Parnaſo.

Traductio Latina

CAROLI SINIBALDI

Aſtra petens Phœbus, fugienſque Helicona virētem
Oderat arguta plectra mouere manu.
Pierides ſurdas præbebant cantibus aures;
Diſciſſam lauri ſuſtinuere lyram.
Nec Pindi reſonis iterabat vocibus Echo
Carmina, concordi iam prius icta ſono:
Doctiloquis Cycni fecere ſilentia linguis,
Triſtis & Aonijs fontibus humor erat.
Rumpite nunc Vates taciturna hæc otia: Quercus
En Vaticani Principis vmbra fauet.
Hoc ſub Alexandro veſtrum memorabile nomen
Vtraque ad Oceani littora fama feret.
Sidera dant vobis Phœbum; dant Robora ſertum:
Caſtalia è ſacris Montibus vnda fluit.

Ad eiuſdem Excellentiſſimæ Familiæ CHISIAE Stemma Gentilitium idem BALDINVS alludens, argutè concluſit ſequentem Hetruſcam Compoſitionem, ab eodem SINIBALDO latinè redditam, vt infrà patebit.

S O N E T T O

All'Eccellentiſſimo Signore

D. AGOSTINO CHIGI.

* * *

VN mare è il mondo; e i miſeri viuenti
Sono i Nocchier, che ſolcano queſt'onde;
La fortuna è il Nettunno, e lo confonde
Aſpro tenor de'turbini, e de'venti:

Vn mare è il mondo; oh quanti Tifi ha ſpenti
Nè porti, per l'arene, e sù le ſponde!
Quanti Leandri naufraghi naſconde!
Di quanti Palinuri odo i lamenti!

Signore, vn mare è il mondo: ed è ſi graue
Vn flutto ſol, c'anche vn' Vliſſe accorto
Teme, ſin quando ſpira aura ſoaue,

Mà temer non degg'io reſtarui aſſorto:
La Stella è guida, e la tua Quercia è Naue;
Ed ogni Monte tuo diuenta vn Porto.

Nunc

Nunc vide, Lector, quàm venuſtè, idem CAROLVS SINIBALDVS ipſam Compoſitionem totidem Latinis verſibus exhibeat:

Orbis hic eſt Pelagus, tumidas vbi vita per vndas
Anxius infidum Nauita ſulcat iter.
Neptuni Fortuna vices gerit; atque profundum
Sæua procelloſi turbinis ira quatit:
Plurimus huic audens Pelago ſe credere Tiphys,
Naufragus in ſicco littore Tiphys obit:
Heu; quot Leandri miſeri hic periere natantes!
Quot querulis clamant vocibus Iaſides!
Imò adeò terret fluctus, vel ſolus, Vlyſſi
Inferat vt gelidos dulcior aura metus:
Me tamen impauidum ſcopulos iuuat ire per altos;
Et dare præcipiti carbaſa tuta Noto:
Nāque prærit tua Stella mihi, ratis eſt tua Quercus;
Portus vt excelſus, Mons mihi quiſque tuus.

Idem SINIBALDVS non minus venuſtè; totidem etiam Latinis verſibus expreſſit (vt infra videbitur) ſequentem eiuſdem BALDINI Compoſitionem in laudem ALEXANDRI VII. Pont. Max. eiuſque Nepotis FLAVII ad Cardinalatus dignitatem promoti, concluſam quoque per *Alluſionem*:

SO-

SONETTO

Alla Santità

DI PAPA ALESSANDRO VII.

Nella promotione al Cardinalato
dell'Eminentiſſ. Sig.

D. FLAVIO CHIGI.

Gioue dal ſoglio ſuo temè cadere:
Armato il fiero Dio mal ſi ſoſtenne:
Corſe timido il Sol, quando conuenne
Al veglio Mauritan regger le sfere.

Ed à ragion; poiche le forze intere
Oppreſſo dall'etade ei non mantenne;
E quindi i Cieli à ſoſtener ſen venne
Quell'Ercol, che domò Tiranni, e fere.

Mà tu l'incarco ſol reggi coſtante
De la terra, e del Ciel, ne ti confondi,
Ne ſotto il peſo lor reſti anelante.

Anzi, Signor, vie più di forze abbondi;
E ſe pur ti ſtancaſsi, ò Sacro Atlante,
Pronto hai l'Alcide à ſoſtentar più mondi.

Tra-

Traductio Latina,
CAROLI SINIBALDI.

Sceptrifer ætherea tremebundus Iuppiter Arce,
Sedibus & Mauors pene ruere ſuis.
Sol rapidis trepidauit equis, vbi magna ſuperna
Longæuus ſubijt pondera molis Atlas.
Et bene, nàm viuus perijt vigor ille Iuuentæ,
At laſſum vires deſeruere ſenem.
Fortiâ tunc Heros, vltor, domitorq; ferarum
Suppoſuit vaſto terga premenda iugo.
Attamen ipſe regis ſolus, Terramq; Polumq;,
Nec te conſtantem tam graue curuat onus.
Quin ita prævalido ſuſtentas Robore molem,
Viribus vt vires ingeminare queas.
Quòd ſi feſſus eris (ſed non eris) ò Sacer Atlas,
Alcidem, auxilium qui tibi præſtet, habes.

Per aliam quoque *Alluſionem* pulcherrimum finem impoſuit ſequenti Hetruſcæ Compoſitioni nobiliſsimus Vates CLAVDIVS ACHILLINVS, quam ipſemet non minùs bellè in Latinam linguam conuertit, vt videbitur.

SONETTO

Nella Naſcita

DELL'INFANTE
DI SPAGNA.

PArtite, Iſpani Abeti, e in mar tonante
Ite d'Olanda à trionfar le vele;
Ed in vece di faſce, il Grande Infante
Prenda poſa di gloria in quelle tele.

Per farſi terra alle Bambine Piante
Venga lo Scita, ò 'l Tartaro crudele;
Per farſi pondo al pargoletto Atlante,
Vn nouiſsimo mondo hoggi ſi ſuele.

Già la fama del Parto impenna l'ale,
E gia le preſta all'Ottomanna Luna,
Perche fugga, e tramonti al gran Natale.

Hor qui la Rota ſua ſpezzi Fortuna,
E del legno volubile, e fatale
Al Monarca Bambin formi la Cuna.

Latina eiuſdem Traductio.

Soluite ab Hiſpano victrices littore Claſſes;
Ducite ad Auſtriacum vela Bataua thronum.
His linis nunc natus Iber ſua membra reclinet,
Atque triumphalis pectora ſomnus alat.
Procidat infanti diuiſo ex Orbe Sicamber,
Et nato Alcidi pondera cedat Atlas,
Et cum Fama volet tanti prænuncia Solis,
Præparet occiduam Thracia Luna fugam.
Tunc veteris Fortuna rotæ verſatile lignum
Tranſlatum in cunas ſiſtat in obſequium.

Vates venuſtiſsimus IOSEPHVS SILOS per *Alluſionem*, perbellè finem impoſuit Epigrammati,
Ad inſignem Cantatricem
Roma in Galliam proficiſcentem.

Sat Tybris auritus, prona & Capitolia, cantu
Sat Latij colles inſonuere tuo.
Altera Roma vocat; i, quò tibi nuntia plaudit
Iam fama, & rumor iam tua plectra ſonat,
Non tu mella leges rorantia floribus; ipſa
Gallica nempè ſuper lilia mella plues.
I, dulci Gallos, Apis Itala, frange ſuſurro,
Belligeros melico nectare flecte animos.
Sintque trophæa tuæ Muſæ, Bellona reuincta,
Aes fractum, extinctus Mars, domituſque furor.
I, nec Roma vetat, Siren Tyberina, ſopita eſt
Roma ſono, abſceſſum non dolet illa tuum.

Argu-

Argutiſsimus IACOBVS BIDERMANVS, Soc. Ieſu, clauſit argutiſsimè ſequens Epigramma
De CHRISTO dormiente
ad B. Virginem iuxta vigilantem,
ad pulcherrimos ipſius Virginis oculos alludens.

Dormit in extructo Soboles diuina grabato,
Et ſecura oculos occulit vmbra duos.
Intereà curis pernox vigilantibus adſtas,
Et iuxtà excubias, anxia Mater, agis.
Quippe times, redeat ne clam ſua Natus in aſtra?
Te vigili, aſtra tuus iam ſua Natus habet.

Et BARTHOLOMAEVS BEVERINI, ex *Alluſione* ad illud Antiphonæ; *Cæcilia, quaſi Apis argumentoſa*, argutè abſoluit hoc Diſtichon,
De cerea S. CAECILIAE imagine.

Conficere ingenio ceras Apis ante ſolebat;
Cera modò, inuerſo munere, fecit Apem.

Et noſter SIGISMVNDVS REGVLVS cum *Alluſione* ad Olorem, qui morti propior dulciùs canit, aptiſsimè clauſit Epigramma,
In laudem PETRI FRANCISCI MINOZZII, qui MEDICEAM BIBLIOTHECAM, paulló antequàm è vita diſcederet, Latinis, Hetruſcisque carminibus celebrauit.

Auſo-

Auſonia clarus, citharàque ſuperbus Hetruſca,
Occidit, heu, longum viuere dignus Olor.
Occidit, egregijs qui clara volumina faſtis
Edidit, æternos vſque habitura dies.
Scilicet vt Magno congeſta volumina Coſmo
Dixerat, Hetruſci nobile Regis opus,
Nobilius nil poſſe ratus, nil clarius, inquit,
Muſa vale; ſatis eſt gloria; vita, vale.
Ah, mage cum ſolito cantus efferret, Oloris,
(Dixi ego) iam noſtri proxima vita neci.

Ipſe ſępiſſimè per *Alluſionem* Epigrammata concluſi, ex quibus tria, quæ ſequuntur; quorum primum obtuliſſe me, memini, Vati clariſsimo, atque in me valde officioſo, FABIO CHISIO S. R. E. Card. non multò antè, quàm ad ſummam Pontificiam Dignitatem eſſet euectus; ad quam ex ipſius Gentilitio ſtemmate alluſi.

Et Rami, & Montes, & Sidera Stemmatis, alti
Nonne, Fabi, decoris ſymbola clara tui?
Te ſummi ſummà virtute aſſurgere Rami,
Euectum Montes ad loca celſa notant.
Quid ſuper at Montes deſignant Sidera? tandem
Quòd tibi ſupremi ſplendor Honoris erit.

Ad Stemma idem alludens, clauſi ſequens Epigramma, de meis IV. Libris Epigrammaton,

FLAVIO CHISIO
S. R. E. CARD.
dedicatis.

Flaui, purpurei decus immortale Senatus,
Septimi Alexandri gloria, digne Nepos,
Iam, nimis obſcura concluſi ſede Libelli,
Longiùs in tenebris delituiſſe negant.
Ergo fores tandem reſero; do cernere lucem,
Ne videar multis barbarus eſſe Pater.
Iamque ipſis atrox equidem ſum viſus, & atrox
Dictus ego querulo non ſemel ore fui.
Has mihi nam triſtes fuderunt ſæpè querelas:
Dire Pater, nobis cur data vita fuit?
Cur data vita fuit, ſemper ſi carcere clauſis,
Haud aliquo fas eſt tempore, luce frui?
Non ea, quam cuperes, nobis eſt forma; fatemur;
Pluribus eſt maculis forma venuſta minùs.
Morte ſed excepta quid non curabile? Princeps,
Quem tantùm cupimus cernere, dexter erit.
Dexter erit; nobis fulgebunt Montibus Aſtra:
Dexter erit; maculas Quercus *opaca teget.*

Ex *Alluſione* quoqne, nempè ad Horologium arenarium, modum ſtatui ſequenti Epigrammati, cuius lemma:

Vita potius Mors.

AD NICOLAVM.

Dinumerat quiſquis mortalis tempora Vitæ,
Hic potiùs Mortis tempora dinumerat.
Nam quæ Vita datur, ſi vix puer exit ad auras,
Cum moritur? nondum, ſi quoque, natus, obit?
Si quoque dum creſcit, diſcit decreſcere vita,
Temporis & puncto quolibet ægra cadit?
Haud ſemel, ò Nicolae, metit Mors ſæua quotannis;
Haud ſemel, haud iterum; ſemper acerba metit,
Omnibus, heu, morimur momentis: Vita, frequens Mors:
Hæc Vita, heu, Vitæ nil, niſi nomen, habet.
Vel tempus, quo Vita datur, concluditur Vrna,
Deflua & extinctum tempus arena tegit.

Ad idem Horologium arenarium alludens, in concluſione ſequentis Diſtichi,
& ad Horologium aquarium, & Solarium, hæc tria Horologia verſiculo vno comprehendens, oſtendi IVLIO NESTORIO clariſsimè,

Quid ſit tempus.

Temporibus ne fide, miſer: quid tempora, Lulli?
Vnda abiens, fugiens Vmbra, & Arena fluens.

Sed tandem afferamus Epigrammata argutè concluſa per *Alluſionem* quoque ad Nomina, & Cognomina (quorum nulla hactenus propoſuimus) ad quæ etiam, vt principio diximus, ſæpiſsimè fieri ſolet *Alluſio*, pulchræ enim argutiæ ex eorum *Etymologia*, promanant: Ac primo loco, vt ratio poſtulat, MARTIALEM Epigrammatographorum Principem, de more collocemus.

Hìc igitur cum *Alluſione* ad Nomen, ita claudit Epigr. CXIII. *lib.* I.

IN PRISCVM.

Cum te non noſſem, Dominum, regemque vocabam:
Cum bene te noui, iam mihi Priſcus eris.

Argutia eſt etiam ex *Alluſione* ad Nomen apud AVSONIVM in concluſione Epigrammatis

IN FVRIPPVM.

Pars te Furippum vocitat, pars verò Furippum,
Altera producens, altera corripiens.
Elige, vtrum malis: aut tende, aut corripe nomen;
Conueniet quoduis, fur, furioſe, tibi.

Et apud PICTORIVM in concluſione Epigram.

De Morte.

Mors ipſa loquitur.

Quæ neque pauperibus, neque mole potentibus auri,
Nec pueris noui parcere, nec ſenibus,

Mors

Mors vocor: impoſitum numquid malè dixero nomẽ,
Quod fugere à morſu, res nequit orta, meo?

Ex *Alluſione* ad Nomen oritur quoque *Argutia* IOVINIANI PONTANI Epigrammati, in quo Puella nomine VRBANA, malè ſepulta, ita queritur.

Rure quidem iaceo, cum ſit mihi nomen ab Vrbe:
Nec titulus, nec ſunt nomina vera mihi.
Pœna mihi eſt tumulus, pœna eſt rurale ſepulcrum,
Quæque quies alijs, eſt mihi ſupplicium.
Po viola porrum, pro thure, atque Arabe coſto]
Cæpa datur; cæpis obſita ſemper humus.
Meque ſues, meque & verres, vexantq. capellæ,
Inquinat & tumulos ingluuioſus anas.
In primis me turbat anus, quæ carmine longo
Euocat, & Manes euocat, atque Erebum:
Vos aliò cineres, aliò traducite noſtros;
Quæque Vrbana fui, ruſtica ne iaceam.

Placet mihi valde ſtylus IOVINIANI, eſt enim clarus, elegans, & ſuauis: At in hoc Epigrammate nonnulla ſunt, quæ mihi non arrident: duoque potiſsimùm, quæ notabo, vt proſim Lectori (namque Lectoris vtilitas, mearum animaduerſionum finis eſt) videlicet in principio Epigrammatis; & in fine.

Non mihi ſanè videtur aptè dictum, *Rure quidem*

iaceo; ita enim loquendo, VRBANA id, de quo vult queri, approbare potiùs videtur: quæ enim propria huius ſignificatio locutionis: *Rure quidem iaceo*, niſi hæc? *Rure, iure, bene, iaceo*. Aliud aliquid loco vocis, *quidem*, meo iudicio ponendũ erat, vel ipſi voci, *quidem*, adiungenda interiectio aliqua, qua dolor exprimeretur,

Itaque ipſe potiùs ita dixiſſem

Rure malè, heu, iaceo, cùm . . .

Aut ſaltem,

Rure quidem, heu, iaceo . . .

Minùs etiam aptè, vltimum carmen procedere video, incipiẽs ſic, *Quæque Vrbana fui &c.* cũ pręceſſerit, *Vos aliò cineres, aliò traducite noſtros.*

Non enim cohæret cum hoc verſu antecedenti: quæ enim connexio in hac locutione? *traducite aliò noſtros cineres, & ego, quæ Vrbana fui, ne ruſtica iaceam*: cohæreret autem, ſi diceretur: *traducite aliò noſtros cineres, ne ego, quæ Vrbana fui, ruſtica iaceam*. Proinde cauſa connexionis cum carmine, *Vos aliò cineres, aliò traducite noſtros*, ſic erat ſubijciendum,

Vt, quæ Vrbana fui, ruſtica non iaceam.

Vel, *Ne, quæ Vrbana fui, ruſtica ſic iaceam.*

Ex *Alluſione* ad Nomen procedit etiam hoc Diſtichon, quod Romæ legitur in noſtra S. PANTALEONIS Eccleſia, in Sepulcro FLORAE Reatinę.

Cæli intemperics Floram florere vetabat:
Tranquillo floret Flora recepta Polo.

Et

Et Epigrãmati IO. BAPTISTAE BARGIOCCHI, in Natali Magni Principis Hetruriæ.

Omnia cogantur vaſtis fornacibus æra,
Cæſaque decurrant marmora cuncta iugis,
Magnum etenim felix Heroem protulit Arnus,
Cuius facta terent ſaxa, metalla, manus.
Huic Ferdinandus Pater eſt, Victoria Mater,
Nam ferro victor Maximus Orbis erit.

Ad Nomen quoq. noſter SIGISMVNDVS REGVLVS alludẽs, bellè finem impoſuit Epigrammati, ad ſuum Libellum Sepulchralium Inſcriptionum, ab eodem dicatum

OPITIO PALLAVICINO
Archiepiſcopo Epheſino.

Pauperis ingenij ſoboles petis ora, Libelle,
Nudus opum? caueas: pauper vbique iacet.
I tamen: incedes inſigni Nomine diues:
Ipſe ſuo Præſul Nomine fundit opes.

Idemq. SIGISMVNDVS ſequenti Epitaphio DESIDERII MONTEMAGNI, alludens ad Cognomen.

Diſcite mortales, ſit quantula gloria terræ:
Qui mons magnus erat, nunc cinis exiguus.

Bellè quoque, ad Cognomen alludens nobiliſsimus Vates ANTONIVS SFORTIA, concluſit hoc Diſtichon,

Ad Reuerendiſsimum P.

FR. RAYMVNDVM CAPISVCCVM

Sac. Pal. Ap. Magiſtrum.

Cum tu cuncta probes, Capiſucce, volumina, ſuccum
Virtutis Capiti quis neget eſſe tuo?

Ex hoc *Alluſionis* Loco, orta eſt *Argutia* Epigrammati meo, in quo,
de Diuo BERNARDO Abbate,
mortuo inter Octauam DEIPARAE Aſſumptæ.

Me trahe, Virgo; tuum curram, Roſa pulchra, in odorem:
Bernardus, Mariæ captus amore, canit.
Cui Virgo; Bernarde, veni, Nardus bona: Nardus
Tu mihi grata, tibi grata ego ſi Roſa ſum.

Et Epigrammati, ex Nomine (IOANNES) quod Nomen GRATIAM ſignificat,
De meis Carminibus,

Ad

Ad IOANNEM VICTORIVM ROSCIVM,
(qui dictus etiam Ianus Nicius Erythræus)
Et ad IOANNEM BAPTISTAM GRATIOLIVM,
Equitem, mei amantiſſimos.

Carmina ſolicitè mea cur ſeruatis vterque,
Quæ potiùs flammas in ſua damna vocant?
Deſinite ò tandem: vobis, vel nomine, inhæret
Gratia: carminibus gratia nulla meis.
Deſinite ò tandem. demens fruſtra alloquor; auras
Verbero; do rapidis vota, preceſque notis.
Gratia, quæ vobis, Muſæ fauet vnica noſtræ:
Carmina ſeruari gratia veſtra iubet.

Ex *Alluſione* quoque ad Nomen, argutiam comparaui ſequenti Epigrammati.
in honorem MARII NVZZII
Pictoris florum, huius ætatis præſtantiſsimi,
ideòque etiam de FLORIBVS Cognominati.

Cur Mario, cui dat miros ars gignere flores,
Non potiùs nomen, quàm Mare, Terra dedit?
Quæ ſiquidem Marius benè dat certantia veris
Floribus, inſpector munera verna ſtupet.
Munera verna; ſtupet; quin munera verna putaret
Vera quoque; at nullo fragrat odore color.
Veris mira tamen ſunt hæc mage floribus: illos
Terra parit; parit hæc munera verna, Mare.

Præterea hùc referri poſſunt ea Epigrammata, quæ
cauſa nominis procedunt, quale eſt
Apud MARTIALEM Epigr. xiv. *lib.* ix.
De EARINO DOMITIANI.
Quod Nomen à Vere dictum eſt.

Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
Cum breue Cecropiæ ver populantur apes.
Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi;
Quod Cytherea ſua ſcribere gaudet acu.
Nomen, Erythræis quod littera facta lapillis,
Gemma quod Heliadum pollice trita notet.
Quod penna ſcribente grues ad ſidera tollant,
Quod decet in ſola Cæſaris eſſe domo.

Et apud eumdem Epigr. Lxxiv. libri eiuſdem.
Ad LIBERVM amicum.

Liber Amyclæa frontem redimite corona,
Qui quatis Auſonia verbera Graia manu,
Clauſa mihi texto cum prandia vimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo ſi nomine munera ferres,
Scis, puto, debuerint quæ mihi dona dari.

Vina, videlicet, quorum Bacchus, dictus etiam
Liber, repertor fuiſſe dicitur à Poetis
ethnicis.
Et apud MATTHIAM CASIMIRVM Epigramma,
De

De LVDOVICO XIII. GALLIARVM Rege, cum primo regni anno Rupellam ab eo expugnatam fuiſſe, percrebreſceret.

Ludó vices, Ludouicus ait: Mars riſit; &, ohe,
Lude meas, inquit, Rex Ludouice, vices.
De Puero, ni Rex eſſes, Ludouice vererer:
Et Puer, & Rex es: regie lude, Puer
Iacta Rupellani cecidit ſimul alea belli,
Ante tuos cecidit victa Rupella pedes.
Ludere perge vices: vt ſunt tibi prælia ludus,
Sic, Ludouice, tibi vincere ludus erit.

His, quatuor mea Epigrammata ſubijcio.
De SANCTO LAVRENTIO,
Cuius Mater PATIENTIA nomine.

Verbera, plumbatas, lamnas tolerauit, & ignes
Intrepidus Laurens crate ſuperpoſitus.
Quid mirum? dedit huic fortem Patientia vitam:
Hæc, oſſa, hæc, neruos, viſcera, corque dedit.

Ad S. SOPHIAM, eiuſque filias VV. & MM.
FIDEM, SPEM, CHARITATEM.

Næ tibi, ſumma fuit, Genitrix, Sapientia, quando
Terrea tu noſti ſpernere, celſa ſequi:
Inuictumque tibi pectus virtutibus almis,
O Soboles, forti nobilitata nece.
Docta quidem Genitrix, ſoboles inuictaque: veſtris
Conſona nominibus quàm bene facta patent:

Ad

Ad meum olim Diſcipulum
FR. PETRVM, ex Ord. CAPVCCINORVM,
Picenum, anteà CAESAREM nominatum.

Cæſaris inuicti qui quondam nomine dictus,
Diceris in ſacra Relligione, Petrus.
Quam bene! petra velut, fortis perſiſtis, & hoſtis
Tartareus tanto robore victus, abit.
At nunc, Petre, potes, Cæſar quoque rite vocari;
Dicendus Cæſar, qui bene bella gerit.

De QVINTILIO Medico
mortuo ſub finem menſis Quintilis.

Ad vitæ metam, Quintilis nomine, menſe,
Peruenit medicus nomine Quintilius.
Cuique ſuum quamquam tempus, periſſe ſuoque;
Quo quis menſe obijt, dicere quiſque ſolet,
Si tamen hic alio periſſet tempore, dici
Tam bene non poſſet menſe obijſſe ſuo.

Hoc verò Loco IV. in quo ex allatis exemplis *Alluſionum* ad Nomina, ſeu Cognomina, patuit, ex illorum Etymologia, ſeu ſignificatione argutias Epigrammati ſuppeditari, oſtendendum etiam putaui, ex eorumdem quoque pronunciatione recta, vel mala, argutias exoriri.

Ex recta Cognominis pronunciatione exoritur *Argutia* ſequenti meo Epigrammati,

In

In laudem Sapientiſsimi Senis
Fratris FRANCISCI MACEDO Luſitani,
AD LVSITANIAM.

Clarior es longè, quod, Luſitania, magno
Franciſco, Sophiæluce nitente, nites,
Innumeris quàm, quòd Ducibus, quos Martius ardor
Inflammat, ſitis & laudis ad arma rapit.
Lux tibi maior: honos tibi, Luſitania, maior:
Plùs peperiſſe Sophos, quàm peperiſſe Duces.
Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ,
Iure quidem Marcus Tullius ore tonat.
Robore lingua armis præſtat; lingua amouet arma:
Victa cadunt lingua protinus arma manu.
Lingua animum vincit, corpus ſi ſternitur armis:
Fortior hoc animus: robore lingua præit.
Eſt minor armigeris, eſt maior gloria doctis.
Belligeris breuis eſt gloria, longa Sophis.
Hinc breui Alexander, Macedo, bene dicitur; aptè
Franciſcus longa voce, Macedo, ſonat.

Ex mala Nominis pronunciatione orta eſt *Argutia* ſequenti Diſticho, quod mihi adoleſcenti à Præceptore ſignificatum, ſemper hæſit memoriæ, vt Diſtichon perquàm argutè concluſum: hoc verò eſt in quemdam, qui lecturus nomen hoc fluüij [*Euphrates*] rectæ pronunciationis ignarus tantiſper hæſit; moxq. illud malè breuiauit.

Venit ad Euphratem, ſubitòque exterritus hæſit:
Vt citò tranſiret, corripuit fluuium.

IO-

LOCVS V.

Argutia ex Irriſione.

Apud MARTIALEM in Epigr. xLIII. *lib.* I.
DE PORCIA.

Coniugis audiſſet fatum cum Porcia Bruti,
Et ſubtracta ſibi quæreret arma dolor,
Nondum ſcitis, ait, mortem non poſſe negari?
Crediderami ſatis hoc vos docuiſſe patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas;
I nunc, & ferrum, turba moleſta, nega.

Simili modo procedit *Irriſio*, in FRANCISCI REMONDI Epigrammate,
De Diuo PETRO, ab Angelo educto è carcere, & HERODE Rege.

Fulminat in Solymis Herodes impius aruis,
Inque iubet Petrum ferrea vincla rapi.
Obijcit æratos poſtes, centumque catenis
Firmat, & armato milite tecta replet.
Interea illuſo Petrus de carcere prodit.
I nunc, & ſtultas claude, Tyranne, fores.

Et in eiuſdem Epigrammate:
De morte FREDERICI AENOBARBI, Imp. vulgò dicti, Barbaroſſa.

Fatidicus tibi ſæpe olim prædixit: ab vndis,
Si tibi chara ſalus, ò Frederice, caue.
Tu maria, ingenteſque lacus, tu grandia vitas
Flumina: ſola tuo milite terra tremit.
At poſt in Syriæ dum bellica caſtra Tyrannum,
Inſolita ductus relligione, moues,
Languida membra lauas æſtiuo ſub cane; & ecce,
Exiguo infelix merſus in amne peris.
Non nouit magnos, ò Rex, parua vnda monarchas;
I nunc, & pelagus, regia cura, fuge.

Et in elegantiſsimo ANTONII GVZZII Epigr.
De S. FRANCISCO de Paula, qui pallio ſuper aquas inſtrato tranauit Siculum fretum.

Aequora Pauliades ſubſtrato ſulcat amictu,
Et præbet faciles Nereis vnda ſinus.
Dulceſcunt longo ſpumantia marmora tractu,
Nec ſociam miſcet Doris amaritiem.
Non ſic impoſitus dorſo Delphinis Arion
Cærula frænato piſce cucurrit eques:
Veſtis abit, Zephyris velut vſa carina ſecundis:
I nunc, & cymbam, turba moleſta, nega.

Et in hoc meo,
De Sancto BARTHOLOMAEO Apoſtolo.

Quàm ſua lethiferis hilaris dat membra tyrannis!
Quàm nece crudeli Bartholomæus ouat!
Quàm gaudet, dum dextra ferox è corpore veſtes
Eripit, & corpus pellibus exſpoliat!
Namque ait; in Cœlis precioſiùs induar: i nunc:
Corporis induuias, turba ſceleſta, rape

Irriſio eſt etiam, ſed non ſimplex, vt in ſuperioribus exemplis, at per laudem inſulſam,
Apud eumdem MARTIALEM in Epigr. XXII. *lib.* V.
DE APOLLONIO.

Quinctũ pro Decimo, pro Craſſo, Regule, Marcũ
Ante ſalutabat rhetor Apollonius.
Nunc vtrumque ſuo reſalutat nomine: quantum
Cura, laborque poteſt! ſcripſit, & edidicit.

Si, Lector, *Macrum*, legas, non, *Marcum*, maior erit *Irriſio*, ex infelicisſima Rhetoris memoria, Craſſum, contrario nomine vocantis, *Macrum*, vt legendum potius, puto: non enim ſine arte etiam, dictum indico à MARTIALE, *Quinctum* pro *Decimo* ſalutatum fuiſſe, videlicet, quaſi nomine dimidiato, ſi numeros quinque, decemque conſideres.

Idem MARTIALIS eumdem APOLLONIVM ironicè

nicè etiam laudans, Ep. Lv. *lib.* eiuſdem, non minùs quidem irridet: ſic enim ait:

Extemporalis factus eſt meus Rhetor:
Calphurnium non ſcripſit, & ſalutauit,

Irriſio eſt etiam huius generis apud THOMAM MORVM in Epigrammate

In malum Pictorem.

Cum cane ſic pictus lepus eſt, vt dicere nemo,
Eſſet, vteruè canis, poſſet, vteruè lepus.
Pictor vbi hoc didicit, quod inerti defuit arti,
Suppleuit miro callidus ingenio.
Res vt aperta foret, longèque faceſſeret error,
Subſcripſit tantùm: eſt hic canis, iſte lepus.

Ineſt quoque, modus alius *Irriſionis* Apud MARTIALEM in Epigr. Lxxv. *lib.* IX,

In Sutorem.

Dentibus antiquas ſolitus producere pelles;
Et mordere luto putre, vetusque ſolum;
Præneſtina tenes defuncti rura patroni,
In quibus indignor, ſi tibi cella fuit.
At me litterulas ſtulti docuere parentes;
Quid cum Grammaticis, Rhetoribuſque mihi?
Frange leues calamos, & ſcinde, Thalia, libellos,
Si dare ſutori calceus iſta poteſt.

Quam

Quam concludendi rationem imitatus M. ANTONIVS MVRETVS hoc Epigrammate
IN VIRRONEM.

Quòd totam, Virro, furioſi more, per vrbem
Diſcurrit noctù, quòd loca ſola petit,
Neſcio quid ſecum ſolus quòd muſſitat, illo
Quòd nemo eſt tota ſordidus vrbe magis.
Hac ratione parat nomen, famamque poetæ,
Et reperit fatuos, ſic quibus eſſe probet.
O valeant calami, pereat genus omne librorum,
Reddere ſi Vates mens malè ſana poteſt.

Per *Irriſionem* quoque, ſed modo diuerſo.
IANVS NICIVS ERYTHRAEVS clauſit Epigr.
IN CHAROPINVM
locupletem, nobilem, ſed imperitum.

Scriptorum totis famoſa volumina terris
Colligis, & pluteis das, Charopine, tuis.
Quid tibi cum libris, quorum nec nomina ſaltem,
Nec titulos prompta voce referre queas?
Quoſque ſinis, multo conſperſos puluere, blattis,
Et gratas auidis muribus eſſe dapes.
Nam nullum tangis, ſed tamquam ſacra profanus
Non digna metuis collutulare manu.
Nùmne times, fias tarctandis fortè libellis
Doctior, aut ſtolidus ſis, ſtupiduſque minùs?
Hoc caue, te moueat; ſic eſt tibi craſſa Minerua,
Proficere vt valeant plus, mihi crede, ſues.

Et

Et ego (vt plura miſsa faciam) Epigrammata tria, quæ ſequuutur.

DE APOLLINE, ET MARSYA.

Marſyæ Apollo ferox, cantus certamine, victo
Suſpenſo è pinu ſic ait, excorians:
Marſya inique, Deum punitus diſce vereri:
Si neſcis, homo non ſum, ſed Apollo Deus.
Contrà ait ille: Deum punitus temnere diſco,
Carnificis quando turpiter arte valet.

DE HERCVLE

Qui OMPHALES Reginæ LYDORVM adeò exarſit amore, vt ea iubente fœmineis ſe veſtibus induerit, colum ſumpſerit, neueritque.

Cui priùs exuuijs horrebant membra, Leonis,
Nunc ſub fœmineo tegmine fracta iacent.
Eximia qui iam clauam cum laude gerebat,
Nunc gerit infami cum leuitate colum.
Quique manu inuicta priùs horrida mõſtra domabat,
Nunc leuiter motis fila trahit digitis.
Sic mulier dilecta iubet; ſic paret amator:
Quàm te ridiculum reddit, Amator, amor!

AD MARCVM BACVLEIVM,

Qui pilea, vel leuiſsima, ſibi grauiſsima, querebatur.

Quale tibi caput eſt, ò Marce? leuiſſima quãuis,
Pondera ſunt capiti pilea cuncta tuo.

Ipſa licèt molli palea, tenuique parentur;
Hæc, inquis, nimium pilea pondus habent.
Non eſt, crede, caput tibi debile; debilis eſt mens,
Marce, tibi, quando pilea quæque grauant.
Pilea, ſtulte, tibi fac, mala Cydonia texant,
Hirſutæ aut texant pilea caſtaneæ.

L O C V S V I.

Argutia ex Hyperbole.

Apud MARTIALEM in Epigr. XXVI. in Amph. Cæſ. De Natatoribus.

Luſit Nereidum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas.
Fuſcina dente minax, nexu fuit anchora curuo:
Credidimus remum, credidimuſque ratem:
Et gratum nautis ſidus fulgere Laconum,
Lataque perſpicuo vela tumere ſinu.
Quis tantas liquidis artes inuenit in vndis?
Aut docuit luſus hos Thetis, aut didicit.

Politiſsimus Vates SOSSAGVS perargutæ ſuperioris Hyperbolicæ Concluſionis imitationem, ſeu, vt veriùs dicam, vſurpationem (in ipſius enim concluſione eadem prorſus, ſi ſenſus perpendatur, *Argutia* continetur) concluſit hoc Epigramma, ſumma alioquin laude digniſsimum.

IN

In CATHARINAE CANTONAE Laudem.

Hactenus extinctos animauit imagine vultus
Sudor Apellæus, Phidiacuſque labor.
Nunc Catharina nouis telas animare figuris
Author, & artifici texere tela manu.
Adiures, hæc vera geri, nec ficta videri;
Tantum Dædaleæ poſſidet artis opus.
Si terras mentitur acu, ſtant ordine Syluæ,
Rauca ſonant fluuij, ſtagna quieta ſilent.
Nunc curuas ſinuant valles, nunc ſtamina turgent
Montibus, & Cœlo proxima ſaxa vides.
Si fragiles artus formauit, & oſſa virorum,
Viuere credidimus, credidimuſque loqui.
Stamina ſi facies Diuûm ſpirantia monſtrant,
Viuunt in magnos ſtamina tota Deos.
Iuppiter igne tonat, montanaque culmina fumant,
Fila vagas rumpunt ingenioſa faces.
Crinitus Phœbus radijs, Mars fulminat armis,
Inuidia Iuno ſæuit, amore Venus.
Vnde tot inuenit textricibus artibus artes?
Pallade docta fuit, Pallada vel docuit.

Et apud eumdem MARTIALEM in Epigrammate LXXXVII. *lib.*I.

DE NOVIO MICROSPICO.

Vicinus meus eſt, manuque tangi
De noſtris Nouius poteſt feneſtris.
Quis non inuideat mihi, putetque
Horis omnibus eſſe me beatum,

Iunćto cui liceat frui ſodale?
Tam longè eſt mihi, quàm Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen.
Non conuiuere, nec videre ſaltem,
Non audire licet, nec Vrbe tota
Quiſquam eſt tam prope, tam proculque nobis.
Migrandum eſt mihi longiùs, vel illi.
Vicinus Nouio vel inquilinus
Sit, ſi quis Nouium videre non vult.

Et apud eumdem in Epigr.LXXXII.*lib*.VII.

DE EVTRAPELO.

Eutrapelus tonſor dum circuit ora Luperci,
Expungitque genas, altera barba ſubit.

Eadem vſus eſt iucundiſsima *Hyperbole* in concludendo Epigr.LII.*lib*.VIII.

AD CEDITIANVM.

Tonſorem puerum, ſed arte talem,
Qualis nec thalamus fuit Neronis,
Druſorum cui contigere barbæ,
Aequandas ſemel in genas rogatus,
Rufo, Ceditiane, commodaui.
Dum iuſſus repetit pilos eoſdem
Cenſura ſpeculi manum regente,
Expungitque cutem, facitque longam
Detonſis epaphæreſim capillis,
Barbatus mihi tonſor eſt reuerſus.

Idem

Idem MARTIALIS, eiuſdem *lib.*VIII. Epigr.XXI. honorifica abſoluit *Hyperbole*.

AD LVCIFERVM.

Phoſphore, redde diem; quid gaudia noſtra moraris?
Cæſare venturo, Phoſphore, redde diem.
Roma rogat; placidi numquid te pigra Boote
Plauſtra vehunt, lento quòd nimis igne venis?
Ledæo poteras abducere Cyllaron aſtro:
Ipſe ſuo cedet nunc tibi Caſtor equo.
Quid cupidũ Titana tenes? iam Xanthus, & Aethõ
Fræna volunt: vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidæ non cedunt ſidera luci,
Et cupit Auſonium Luna videre ducem.
Iam, Cæſar, vel nocte veni: ſint aſtra licebit;
Non deerit populo, te veniente, dies.

Honorifica, inquam, *Hyperbole* concludit: hoc enim ſignificatur: *Cæſar tibi Sol eris, gloriæq; tuæ ſplendore, vel manente noctis facie, Cælum illuminabis*. Magna hæc *Hyperbole*, magnaq; in Epigrammate meo, quod nunc affero.

AD IANVM NICIVM ERYTHRAEVM

Cuius carmina vnà cum litteris, diurno tempore, tradita, ſub noctem famulus, non ſemel ad me pertulit.

Quæ, vel nexa metro, metro vel libera, Iane,
Mittis, reſpondent moribus illa tuis.
Namque tui vt fulgent præclaro lumine mores,
Sic tua præcipuo lumine ſcripta nitent.

Hinc procul obſcuræ nubes, tenebræque remotæ:
Emicat eloquij ſplendor vbique tui.
Excuſes, opus eſt, ſi, quæ das, Iane, ferenda
Scripta die, famulus nocte ruente ferat.
Excuſes, opus eſt: ſcriptorum lumine tanto
Perfuſus famulus, neſcit abeſſe diem.

Per*Hyperbolen* etiam clauditur eiuſdem MARTIALIS Epigr.xxxix.*lib.*ix.

AD AGATHINV*M*.

Summa licèt velox, Agathine, pericula ludas,
Non tamen efficies, vt tibi parma cadat.
Nolentem ſequitur, tenueſque reuerſa per auras,
Vel pede, vel tergo, clune, vel vngue ſedet.
Lubrica Corycio quamuis ſint pulpita nimbo,
Et rapiant celeres vela negata Noti,
Securos pueri neglecta perambulat artus,
Et nocet artifici ventus, & vnda nihil.
Vt peccare velis, cum feceris omnia, falli
Non potes: arte opus eſt, vt tibi parma cadat.

Huius concluſionis Hyperbolicæ Epigrammatis MARTIALIS imitatio perſpicitur in meo Epigr.

DE TARQVINIO IACOBATIO

Romano, Viro fortiſsimo,

Qui cum, poſt multas relatas victorias, patriam reuerſus, domi ſuæ feneſtram aperiendo, recederet, auerſo corpore in ſcalas dilapſus, interijt.

Tar-

Tarquinius validis Iacobatius horror in armis,
Sternere quem clari nan potuere Duces,
In ſcalas præceps auerſo corpore lapſus,
Victricis iacuit nobile Mortis onus.
Proh, quantus bellator erat! timuiſſe vel ipſam
Nonne vides Mortem vincere poſſe Virum?
Mors illum à tergo aggreſſa eſt, vt ſterneret: ille
Vt victus caderet, Morti opus artē fuit.

Hyperbolica eſt etiam Concluſio apud BARTHOLOMAEVM BEVERINI in Epigrammate
In gracilem bene naſatum.

Dum gracilis metuit vento rapiente Philetas,
Ne leuet exiguos mobilis aura pedes,
Sueuerat impoſito pondus ſibi quærere plumbo,
Non ſecus ac dubiam firmat arena ratem.
Non eſt, cur rabidos quæras tibi pondus in Euros:
Aeoliam contrà ſat tibi naſus erit.

Allatum BEVERINI de homine bene naſato Epigramma, admonet me, vt meum etiam afferam, *hyperbolicè* quoque concluſum,
De prælongo SAGESTIS naſo, rotundoque.
AD LAELIVM PARTHENOPAEVM.

Sageſti quàm ſit longus, naſuſque rotundus,
Noſcere ſi, Læli Parthenopæe, cupis,
Accipe: dum ſomni nexu ſua membra tenaci,
Vlna vlnam ducens, nititur eruere,

Arripit interdum (poſſit quis credere?) naſum ,
Atque , vlnam reputans , hunc ſibi ſæpe trahit .

Sed maximè ingenioſa eſt *Hyperbole*,mihique maximè arridet , cum aliquid aptè inſeritur in concluſione , quo id , quod *Hyperbolicè* , dicitur , verum eſse, vel fuiſse, vel verum futurum videatur, vt ſequentibus patebit exemplis apertiſsimè .

Talis *Hyperbole* eſt apud MARTIALEM , in Epigr. xxxv. *lib.* III.

De piſcibus ſculptis .

Artis Phidiacæ toreuma clarum
Piſces aſpicis ? adde aquam ; natabunt .

Huiuſmodi ingenioſa *Hyperbole* , claudit ſublimis Vates MAPHAEVS BARBERINVS Epigr. De Statua DIANAE dormientis ad fontem .

Per ſyluas iaculis nuper , curſuque Diana
Gaudebat celeres exagitare feras .
Nunc defeſſa iacet permulcens membra ſopore
Hic , vbi proſiliens leniter vnda fluit .
Marmoream ne crede : leuem leni aera motu
Ducit , & in viuo ſpiritus ore ſonat .
Non audis ? ſimili ſopitæ murmure murmur
Confundens , aures garrula fallit aqua .

Et vir eruditiſsimus ANDREAS MARIANVS Ep. De MEDEAE Statua .

Verſat opus crudele animo Medea cruento ;
Fulgurat è vultu tractus amore furor .

Læua

Læua effert puerum, ferrum fera dextera librat;
Blandulus arridet matris ad ora puer.
Torua oculis ictum teneros deſignat in artus:
Cur furioſa ſuum dextra moratur opus?
Credo ego, ne natos populo ſpectante trucidet:
Vis, gladio ruat in vulnera? vade foras.

Et ANTONIVS de ROMBISE, Epigr.
Ad Signa duo in Monte Quirinali
ALEXANDRI MAGNI
Bucephalum domantis; quorum vnum
eſt PHIDIAE, alterum PRAXITELIS.

Aemula Phidiaci perfecit ſigna laboris
Praxiteles, poſtquam paruit eius opus.
Fortis Alexander (talem ſua marmora præbent)
Bucephalum magno robore prendit equum.
Viuere ab arte putas, & quadrupedũ ora timeres,
Gorrigeret tanti ni manus apta viri.

Et PETRVS ALOIS, Epigramma,
de NERONIS Statua.

Qui fuerat naturæ olim monſtroſa propago,
Prodigiale Nero prodijt artis opus:
Aſpice funeſtam vibrantia lumina cædem;
Aſpice fulminea feruere fronte minas.
Talis erat, Romana dedit cum Pergama flammis;
Talis & Annæo funera ſæua dedit.
Talis erat, Poppæa, tuam cum perculit alnum;
Sæuijt in matrem cum nece, talis erat.

Marmo-

Marmore in hoc olli ſculptor ſpirare dediſſet,
Sed timet, artificem ne necet ille ſuum.

Ipſe quoque per hanc *Hyperbolen*, clauſi hoc Diſtichon

De VENERE PRAXITELIS ſine pedibus.

Praxitelis quàm viua fuit Venus arte, requiris?
Addere, ne fugeret, noluit ille pedes.

Et hoc Tetraſtichon,

De Pſittace, aui Indica, in papyro ad viuum expreſsa.

Quàm bene, quàm ſimili eſt animata colore, papyro,
Humanos volucris promere docta ſonos.
Hæc quoque, credo, daret iucunda vocabula; ſed ne
Claudatur miſero carcere, vafra ſilet.

Et Epigramma, cuius hoc lemma:

Quidam malè PASQVINVS appellatus, olim miles ALEXANDRI Magni, (Statua Romæ) ſic loquitur, queriturque.

Cur ego Paſquini ſartoris nomine dicor?
Non mea tractauit ſcruta, ſed arma, manus.
Non ero compulſus, quemquam, liuore momordi,
Paſquini vt ſocijs ars ſcelerata fuit.
Nam prope me fuerat iam priſca ætate taberna,
In qua, Paſquinus nomine, ſartor erat.
Sæpe hic turba procax, mordaxq; aſſueta morari,

Et

Et rabido immeritos rodere dente viros.
Et cum diuideret Paſquinus forſice pannos,
Solertiq; gulæ fercla pararet acu,
Hæc famam lacerare, & acuta pungere lingua,
Et funem collo quærere ſtulta ſuo.
Hinc, ſi quid mordax ſpargebat fama per vrbem,
Paſquinum authorem dicere, moris erat.
Hic ego poſt poſitus, Paſquinus dictus, idemq;
Illi quod quondam; mox mihi fama dedit.
Naſutiq; mihi os denaſauere, mihiq.
Fregerunt aures, brachia, crura, caput.
Proh ſcelera: in toto qui iam clariſſimus Orbe,
Magni & Alexandri belligerator eram,
Indignè toto confractus corpore, cunctis
Sum modò, Paſquini nomine, ludibriō,
Mars Deus, hæc cernis, tanta hæc nec crimina punis?
Hæccine cultori præmia digna tuo?
Certe ego, marmoreus quamuis, vlciſcerer hoſtes
Nunc quoque, Mars, ſed nunc brachia non habeo,

Vide alia in meis MVSIS ANCONITANIS.

At hoc loco moneo, vt cautè, Lector, prudenterq; te geras, dum ſeria pertractas, ne, quod tibi argutia videtur, alijs ingenij leuitas exiſtimetur; abſtineaſq; oro, potiſſimùm ab huiuſmodi *Hyperboles* vſurpatione. Certè ego ſæpiſſimè miratus ſum, vates nonnullos, alioquin grauiſsimos, in compoſitionibus de rebus ſerijs hanc *Hyperbolen* adhibuiſse, quæ cũ nihil aliud omninò ſit, quàm me-

merus ingenij iocus, in rebus grauibus mihi meritò minùs probatur. Excitant applauſum multis (non ignoro) vel in rebus grauibus concluſiones ex hac *Hyperbole*, at mihi, vt ingenuè fatear, non niſi riſum, cum in rebus ſerijs, de quibus grauiſſimè agendum eſt, maximam ingenij leuitatem deprehendam: nonne enim maxima leuitas eſt, in rebus grauibus iocari? Quamobrem, ſi hac vti *Hyperbole* in animo eſt, aliam potius tibi materiam proponas; ſeriò enim de ſerijs agendum eſt; atque etiam cum de his agitur, cautio multa adhibenda eſt in vſurpanda *voce*, vel *ſententia ambiguæ ſignificationis*, & in *Alluſione* ad fabulas, quæ in materia graui præmittuntur à multis eadem prorſus ratione, ac ſi veræ eſſent, atque ex his ſuas inferunt concluſiones, ridiculè ſanè, ac pueriliter. Quidam profectò modus ſeruandus eſt, qui in Epigrammatis cautorum Vatum ſatis bene cognoſcitur.

LOCVS VII.

Argutia ex Allegoria.

Apud MARTIALEM in Epigr. LXI. *lib.* V.
Ad Detractorem.

Allatres licèt vſque nos, & vſque,
Et gannitibus improbis laceſſas,
Certum eſt, hanc tibi pernegare famam,

Olim

Olim quam petis in meis libellis,
Qualiſcunque legaris vt per Orbem.
Nam te cur aliquis ſciat fuiſſe?
Ignotus pereas, miſer, neceſſe eſt.
Non deerunt tamen hac in Vrbe forſan,
Vnus, vel duo, treſue, quatuorue,
Pellem rodere qui velint caninam.
Nos hac à ſcabie tenemus vngues.

Et apud eumdem in Epigr. L.XXXIII.*lib.*IX.

AD AVLVM.

Lector, & auditor noſtros probat, Aule, libellos;
Sed quidam exactos eſſe poeta negat.
Non nimiùm curo: nam cœnæ fercula noſtræ,
Malim conuiuis, quàm placuiſſe cocis.

Et apud eumdem in Epigr. xc. *libri* eiuſdem.

AD RVFVM.

Dum me captares, mittebas munera nobis:
Poſtquam cepiſti, das mihi, Rufe, nihil.
Vt captum teneas; capto quoque munera mitte,
De cauea fugiat, ne male paſtus aper.

Et in diſticho, è greco à THOMA MORO in latinum conuerſo.

Qui capit vxorem, defuncta vxore, ſecundam,
Naufragus in tumido bis natat ille freto.

Et

Et in Epigrammate MARII MOLSAE,
De Arce Capitolina cœlitùs tacta
AD PAVLVM III. P. M.

Nuper Tarpeias repetitis ictibus arces
Impulit ardentes quòd pater ipſe manu;
Quòdq; idem media nimborum in nocte refulſit,
Stellarum cinctus, conſpicuuſq; choro;
Et tibi quòd flagrans pinus mole excidit alta,
Hæc quoque nocturnis ignibus vſta Iouis,
Paule, tibi optatam portendunt Numina pacem,
Aduentum magnæ teſtificata Deæ.
Sume animos: pacata ſecas, Pater, æquora. malo
Nil opus eſt; tutamat tibi puppis aqua.

Et in Epigrammate pereleganti FERDINANDI
FVRSTENBERGII Epiſcopi,
AD S. VRSVLAM Virg. & Mart.
De Natali ſuo, qui fuit XII. Cal. Nou. 1626.

Virgineas acies quæ te lux ordine longo
Ducentem ſuperas vidit inire domos,
Auſpicijs hæc ipſa tuis, fortiſſima Virgo,
Me vitæ limen vidit inire meæ.
Hinc tibi ſacra fero, votiuaq; dona quotannis,
Natalemq; tuum rite, meumq; colo.
Vela Caledonium ſi te rapuere per æquor,
Excepitq; tuas barbara terra rates,
At fera te ſuperis tempeſtas appulit oris,

Opta-

Optataq; tibi mortis aperta via eſt:
Nos quoque iactat hyems, & cum ſuperaſſe procellas
Credimus, in portu naufraga turba ſumus.
Tu porrò ſecura maris, precor, Vrſula, portum
Vt teneat, noſtræ dirige nauis iter.

OCTAVIVS BOLDONIVS Epiſcopus allegoricè quoque concluſit Epigramma hoc,

DE PETRO MONTIO,

Qui Vrbem Florentiam aduerſus Piſanos tutatus eſt, Alludens ad VRBANVM VIII. P.M. Florentinum, qui CAESAREM MONTIVM primò Nuncium, deinde Cardinalem creauit.

Vna tibi in forti ſpes eſt, Florentia, Petro:
Florere hoc vno, pace, tuente, potes.
Anſtar Apenninæ ſurgit tibi Montius Arcis:
Huius ab aſpectu territus hoſtis abit.
Flore, læta: tuis violas nunc montibus offer,
Primitias Veris grata, datura Roſas.

Et AVRELIVS VRSIVS, dum in Seminario Romano degeret, allocutus eſt ALEXANDRVM Card. FARNESIVM hoc Epigrammate per *Allegoriam* argutè terminato.

Si bene, quæ iecit cultor, non irriget imbre
Semina, ſpes omnis vana, laborq; cadit,
Et ſterili eludit meſſores area culmo;

Nec

Nec ſua miratur ſpicea dona Ceres.
Pars ego, Alexander, ſum ſeminis vna Latini,
Quam tua præſenti lumine cura fouet.
Affer aquam; ſitit, heu, nimium male potus agellus;
Et domini ſupplex ſæpe repoſcit opem.

Allegorica quoque concluſio eſt in ſequenti ALEXANDRI POLLINI Epigrammate,
Ad Iuuenem Pictorem.

Dum viuo diſcis tabulas animare colore,
Et varios natura effert quos dædala flores,
Graminaq; , & dulces anni per tempora fructus
Dum ſimulas, laudum iuuenili captus amore,
Diſce ſimul pulcris animum virtutibus altè
Imprimere, atque Dei ſacram media ipſe locatam
Effigiem quam mente geris, fuligine turpi
Ah, caue, commacules, & celſo è culmine iam iam
Præcipitem, tetro vitiorum in gurgite voluas.
Ah, caue, dum violaſq; roſaſq; & candida pingit
Lilia docta manus, triſtes ſub pectore dumos,
Atque venenatis radicibus inſerat herbas
Actus amor furijs, nimiùmq; effræna cupido
Pullulet vnde tibi ſcelerum denſiſſima ſilua,
Pœnarumq; grauis nullo non tempore meſſis.

Et in Epigrãmate BARTHOLOMAEI BEVERINI, cuius hoc lemma:
Nautæ in Oceano indico

arcis

arcis auro grauibus, anchorarum loco iactis, naufragium euadunt.

Spumea conuixi lacerabant æquora nimbi,
Miſcuerant ſænas ventus, & vnda minas;
Iamq;minor velis, & remige debilis, vndis
Præbebat victum laſſa carina latus.
Anchora defuerat, tumido quæ iacta profundo,
Fundaret dubiam, pondere fixa, ratem.
Quid miſeri faciant? aurum, quod fortè vehebant,
Demittunt. (res eſt ingenioſa timor.)
Non ſecùs ac pretio victæ ſiluere procellæ,
Et velut empta, minas aſpera fregit hiems.
Diſce; fremat quamuis rabidis fortuna procellis,
Aurea ſi præſto eſt anchora, tutus eris.

Et in Epigrammate noſtri venuſtiſſimi Vatis, CAMILLI à S.HIERONYMO,

DE S.PHILIPPO NERIO,

Qui Florentiæ natus, menſe Maio obijt.

Ortum Flora ſuo dederat pia Patria Ciui,
Cui vitæ occaſum florida Flora dedit.
O quantum ingenium eſt fatis! ſerit inclyta florem
Flora ſuum, et florem florida Flora legit.

Et in tribus meis ſequentibus:

DE S. ANDREA APOSTOLO,

Ad Procóſulem AEGEAM, cuius iuſſu affixus Cruci.

Quid pergrata Crucis ligna, exoptata diuq;
Andreæ, Aegea, nunc malè ſane, paras?

Hæc amat iſte ſenex: viden',vt citò brachia lignis
Porrigit, & lignis aptat vt iſte manus?
Inſipiens, nautæ experto qui ligna miniſtras:
Vertit hic in remos nunc duo ligna duos.
En iter, Empyrei, Andreas ingreſſus, ad oras,
Aegea, Aegeas his bene ſulcat aquas.

Aulicus claudus,
Ad Irriſorem.

Cur me derides, excelſa Palatia, clari
Calcantem Domini greſſibus imparibus?
Ambulat haud aliter, ſi neſcis, Aulicus: imò,
Qui graditur meliùs, claudicat ille magis.

DE OLMO ſtulto,
Cui perſonato, loco pilei, erat nauicula.

Mente caput vacuum, leuis Olmus quàm tegit aptè,
Veligera naui dum tegit ille caput.
Iure caput leue nauis habet; nihil aptius illi:
Mente caput vacuum, nauigat Anticyram.

LOCVS VIII.

Argutia ex Sententia.

Apud MARTIALEM in Epigr. xxxiv. *lib.* 1.
DE GELLIA.

Amiſſum non flet, cum ſola eſt Gellia, patrem:
Si quis adeſt, iuſſæ proſiliunt lacrymæ.

Non

Non dolet hic, quiſquis laudari, Gellia, quærit:
Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.

Et apud eumdem in Epigr.LIII.*lib.*V.

IN POSTHVMVM.

Quæ mihi præſtiteris, memini, ſemperq; tenebo:
Cur igitur taceo, Poſthume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: dixerat ipſe mihi.
Non bellè quædam faciunt duo: ſufficit vnus
Huic operi: ſi vis, vt loquar, ipſe tace.
Crede mihi, quamuis ingentia, Poſthume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate ſui.

Ad *Sententiam* quoque referri poteſt id, quo claudit idem MARTIALIS Epigr.XI.*lib.*VI.

IN MARCVM.

Quòd non ſit Pylades hoc tempore, non ſit Oreſtes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis, turduſvè dabatur Oreſti;
Sed par, atque eadem cœna duobus erat.
Tu Lucrina voras; me paſcit aquoſa Peloris:
Non minùs ingenua eſt et mihi, Marce, gula.
Te Cadmea Tyros; me pinguis Gallia veſtit:
Vis, te purpureum, Marce, ſagatus amem?
Vt præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſtem:
Hoc non fit verbis: Marce, vt ameris, ama.

Superioris Epigrammatis imitationem maximè ingenioſam deprehendo apud SOSSAGVM in Epigrammate per *Sententiam* quoque concluſo,

AD IACOBVM VALERIVM.

Cur non grandiloquum ferat ætas noſtra Maronem
Quæris? Cæſaribus cura Maronis erat.
Indoctò non lauta gregi tum cœna dabatur;
Cæſarijs Vates accubuere toris.
Optima menſarum vorat hic,mihi peſſima ponunt;
Et vis, ieiuna carmina voce tonem?
Ecce bibo lymphas; lymphatur at ille Falerno:
Lymphari neſcit numine potor aquæ.
Cæſarias ſere nunc animas; mox ſurgere priſcos
Aſpicies Vates: vt ſeritur, metitur.

Præterea, optima *Sententia*, maximèq; rei, de qua actum fuit, accommodata (talibus autem *Sententijs* argutè Epigrammata concluduntur) duo,quę ſequuntur, eiuſdem MARTIALIS Epigrammata terminantur, videlicet,

Epigramma XXIII. *libri* X.

DE MARCO ANTONIO.

Iam numerat placido felix Antonius æuo
Quindecies actas Primus Olympiadas.
Præteritoſque dies, & totos reſpicit annos,
Nec metuit Lethes iam propioris aquas.
Nulla recordanti lux eſt ingrata, grauiſque:
Nulla fuit, cuius non meminiſſe velit.

Ampliat

Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus: hoc eſt
Viuere bis, vitâ poſſe priore frui.

Et Epigramma LVII. *lib.* XI.
IN CHERAEMONEM.

Quòd nimiùm laudas, Cheræmon, Stoice, mortem,
Vis, animum mirer, ſuſpiciamque tuum:
Hanc tibi virtutem fracta facit vrceus anſa,
Et triſtis nullo qui tepet igne focus.
Et teges, & cimex, & nudi ſponda grabati,
Et breuis, atque eadem nocte, dieq; toga.
O quàm magnus homo es, qui fæce rubentis aceti,
Et ſtipula, & nigro pane carere potes!
Lingonicis agedum tumeat tibi culcitra lanis,
Conſtringatq; tuos purpura texta toros;
O quàm tu cupias ter viuere Neſtoris annos,
Et nihil ex vlla perdere luce voles!
Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Sententia quoque clauditur PICTORII Epigr.
De tempore.
AD LAVRENTIVM.

Quo te cunque die nil ſancti egiſſe videbis,
Hunc tibi, Laurenti, deperiiſſe puta:
Iſta nec in minimis ponas diſpendia damnis:
Aere poteſt nullo, vel breue, tempus emi.

Et Epigramma MAPHAEI BARBERINI,
DE ATTILIO REGVLO.

Ambigis, an patriæ maior ſit cura ſalutis
Attilio, an pactam non violaſſe fidem?
Quæ dictabat amor, mirata eſt Roma loquentem;
Africa ſed reducem non minùs obſtupuit.
Macte vir inuicta mentis vi: barbarus hoſtis
Muricibus tortum te laniare poteſt.
Et ſæuo perimens letho tibi munera lucis
Demere, dum iugi vulnere membra ferit.
Mors tamẽ atra nequit præclarum extinguere nomen;
Quin tua lux oriens hinc rediuiua micat.
Quod fragile eſt, perijt: Virtutis fulgida proles
Gloria, perpetuò, non peritura, viget.

Et Epigramma FABII CHISII,
DE THEODORICO,
Gothorum Rege Ariano, cui cænanti, caput piſcis, tamquam Symmachi, à ſe nuper occiſi, terrorem, ac mortem intulit.

Quem Geticus furor, & vecors magis implet Arius,
Cerne; epulas inter quàm male parcus hebet!
Sanguine Chriſtiadum madidus, ſicco ore Lyæum
Nauſeat, & ſitiens vina liquata fugit.
Torquetur ſecum mens ipſa; ſibi vna, ſatelles,
Et reus, & pœna, & carcer, & vncus adeſt.
Dum damna inſontum ſua crimina pectore verſat,
Et dapibus curas pellere quærit iners;
Dentibus exertis, oculiſq; minacibus, auro
Illuſus lauta piſcis ab arte natat.

Con-

Conuiuæ riſum capiunt; Rex inde pauorem:
Symmachus, exclamat, ſtat mihi lance minax;
Terruit extincti ſpecies; vmbratilis hoſtis
Hunc iugulat, terris qui modò terror erat.
Vſque adeò & grandes animas, Regeſq; ſuperbos,
Cum Deus eſt vindex, mortis imago necat.

Et Epigramma ANGELI COLOTII, quod eſt;
EPITAPHIVM LASCARIS.
Dilectus muſis, & rebus natus agendis,
Quem grauida imperijs protulit alta domus;
Tot freta dum curris, totq; inuia regna pererras;
Auſonia tandem, Laſcaris, vrbe iaces.
Sed ſitus in patria es, Graio licet Orbe remotus;
Nulla eſt virtuti terra aliena ſua.

Per *Sententiam* quoque AVRELIVS VRSIVS claudit
EPITAPHIVM CASTORIS DVRANTIS.
Hic ſitus eſt Caſtor, Parcæ qui fila ſecanti
Obſtitit, & medica furius ademit ope.
Is Cœli, Sophiæq; vias luſtrauit, & inter
Delicias habitus, Calliopæa, tuas.
Inuida fata tamen, ne quis remearet ad auras
Luminis, heu, tantum præripuere virum.
Sed durat Durantis honos, monumentaq; durant
Regia: virtuti nil fera fata nocent.

Et IANVS NICIVS ERYTHRAEVS Epigr.
De Clepſydra.

Vt petit ima grauis clepſydra conditus humor,
Sic cadit, ætherio miſſus ab axe, dies.
Heu, properata nimis maturæ fata ſenectæ,
Si fugiunt anni more cadentis aquæ.
Si vix orta ætas eſt, cum ſua funera ſentit,
Quod datur exiguum tempus abibit iners?
Sola manet virtus rapidis immobilis annis:
Cætera, natiuo pondere preſſa, ruunt.

Et ANDREAS BAIANVS Epigr. cuius lemma,
Non ſunt temnenda parua,
quamuis parua videantur.

Nil pretio indignum eſt, ſi quod Natura puſillum
Efficit, ingenium ſubleuat, arſq. valet.
Quæ contempta fuit, venit arbor adulta ſinapis
Inter olus, volucres nidat, opacat humum.
Fermento vis quanta? tamen quid vilius illo,
Cui corrupta dedit candida maſſa genus?
At verò inde Ceres ſpeciem, gratumq; ſaporem
Accipit, albentes ampliat inde ſinus.
Sæpe ſub obſcuro latet aurea cortice virtus:
Nec ſemper vile eſt, quod quaſi vile iacet.

Et IOSEPHVS SILOS Epigramma
De Ephebulo CAROLI V. Imperatoris,
Qui ei horologium ſurripuerat.

Tempora par Cœlo qui diuidit aureus Orbis,
Aulicus Auſtriaco ſurripit arte puer.

Conditur horarum monitrix, facundaq; moles
Pectore: ſtant tacito garrula furta ſinu.
Nec mora: dum currit rota temporis, ecce ſonorum
Crimen ſecreto è pectore voce tonat.
Publicat hora reum; vindex fit tempus, & index,
Arguit & furem pulchra rapina ſuum.
Ille rubet; riſit ſed Cæſar, vidit vt illum
Culpam haud ore ſuo bellè aperire ſuam.
Diſce: licèt deſit delator, conſcia clamant
Pectora; tu ſceleris præco, reuſq; ſimul.

Aliqua ex Epigrammatis, à me per *Sententiam* concluſis, ſunt, quæ ſequuntur.

De Theatro D. PETRO Apoſtolo, Romæ erecto, iuſſu ALEXANDRI VII. P.M.

Ad Excellentiſſimum Principem AVGVSTVM CHISIVM.

Priſca verecundo ſileat Roma ore Theatra,
Dum Vaticanus ſurgit ad aſtra labor.
Tollitur innumeris moles operoſa columnis,
Præſenti moles obſequioſa Petro.
Et ſimulacra ſacro tollens pia culmine, iuſſu
Pontificis ſummi celſior aſtra videt.
Quantum cernis opus! non Magni hæc pondera molis,
Maximi Alexandri vecta ſed imperio.
Molis erit tantæ quæ, Auguſte, corona? corona
Tantæ equidem molis fama perennis erit.
Fama coronabit tam grande æterna Theatrum:
Aeterna auguſtum fama coronat opus.

De

De Obeliſco AVRELII ANTONINI CARACALLAE Imperatoris
Romæ in Circo Agonali erecto
iuſſu INNOCENTII X.Pont. Max.

Hic, vbi læta ſuper petit aſtra Columba, Obeliſco,
Quattuor & ſubter flumina vaſta fluunt,
Spectabatur Agon: mentem erige, grandia volue,
Attonitus qui tam nobile cernis opus.
Saxa vetuſta notant, & lubrica flumina, mortem;
(Vita hominum properæ labitur inſtar aquæ)
Ipſam ſignat Agon mortem quoque: Iuſtus at vnus
Mortis victor abit; celſa Columba docet.
Quæ bene cum ramo: mortis conamine fracto,
Cum palma victor Iuſtus ad aſtra volat.

DE HERACLITO, ET DEMOCRITO,
Quorum primus ob varios humanæ vitæ caſus
ſemper plorabat, alter verò ridebat.

AD ALEXIVM A CONCEPTIONE
noſtræ Religionis Aſſiſtentem Generalem.

Vitæ Heraclitus ſpectacula, Democrituſq;
Aſpiciens, ſemper ridet hic, ille dolet.
Errat vterque; nimis vitioſum vtrumque: notatur
Perpetuus riſus, perpetuuſq;dolor.
Errat vterque; dolens leuiùs tamen errat, Alexi:
Hæc plus quàm riſus, vita doloris habet.

Hùc etiam referri poteſt Epigramma, quod ad eumdem

dem eruditiſſimum Patrem ſcripſi,

De iudice BEBIO, morte compreſſo, cum vadimonium differri iuberet.

Se placidum ſonti Bebius dum præbet, Alexi,
Iudicijq; pia prorogat arte diem,
Nulla fit, heu, miſero Bebiò dilatio fati,
Sed ſubitò, ſubita morte vocatus, obit.
Mors nunquam mitis: mors nunquam tempora differt:
Mors dum ſæua vocat, non datur vlla mora.

Et hoc quoque meum,

De duabus Romæ tabernis ſimul iunctis, in quarum altera, viuæ volucres venduntur, altera pilulæ, quibus occiduntur.

Ad venuſtiſſimum Epigrammatographum ANTONIVM GVZZIVM.

Hæc habet innumeras, viuaſq; taberna volucres;
Hæ quibus intereunt, iuncta taberna pilas.
Quàm, volucrum vitæ, Antoni, nex dira propinqua!
Quàm, diræ, volucrum vita propinqua neci!
Vita, ò vita breuis! quin vita breuiſſima, quando
Diſtat ab interitu, non niſi, vita, gradum.

Ita concluſi, memor concluſionis clariſſimi Vatis IO: BAPTISTAE MARINI in ſequenti compoſitione, quam latina traductio conſequetur.

Miſe-

Miſeria humana:

APre l'huomo infelice all'hor, che naſce
In queſta valle di miſerie piena,
Prià ch'al Sol, gl'occhi al pianto; e nato à pena
Va prigionier frà le tenaci faſce.

Fanciullo poi, che non più latte 'l paſce,
Sotto rigida sferza i giorni mena;
Indi in età più ferma, e più ſerena,
Trà Fortuna, & Amor more, e rinaſce.

Quante poſcia ſoſtien triſto, e mendico
Fatiche, e morti; in fin che curuo, e laſſo
Appoggia à debil legno il fianco antico.

Chiude al fin le ſue ſpoglie anguſto ſaſſo,
Ratto così, che ſoſpirando dico:
Dalla cuna alla Tomba è vn breue paſſo.

Quam compoſitionem egregius Vates CAROLVS SINIBALDVS totidem verſibus ſic latinè conuertit.

Infans (heu, miſerum) vitæ dum prodit in auras,
Ingemit; & nondùm lumina lumen habent.
Vixq. ſuæ trepidus venit genitricis ab aluo,
Cum dura arctatur compede, faſciolis.
Iam puer impubes rigido ſub verbere triſtes
Cogitur infelix enumerare dies.

Hinc

Hinc valido premitur fortunæ caſibus, æuo,
Perq; Cupidineas ſtatq; caditq; vices.
Cumq; ſenex baculo titubantes ſuſtinet artus,
Aſſiduis languent corpora curua malis.
Sic tandem properat ſuprema ad funera præceps,
Et cinis exigua contumulatur humo,
Pectore vt ex imo ducens ſuſpiria, clamem:
Vix oritur vita Lucifer, Heſperus eſt.

Optimo quidem carmine clauſit SINIBALDVS, ſed MARINI *Sententiam* per eamdem *Allegoriam* non expreſſit: ipſe ita concluſiſſem, eidem *Allegoriæ* prorsùs inhærens:
Heu, breuis è cunis ad tumulum gradus eſt.

LOCVS IX.

Argutia ex Enumeratione Nominum præpoſitorum.

Apud MARTIALEM in Epigr. Lxv. *lib.* 1.
Ad FABVLLAM ambitioſam.

Bella es, nouimus, & puella; verùm eſt:
Et diues; quis enim poteſt negare?
Sed dum te nimiùm, Fabulla, laudas,
Nec diues, neque bella, nec puella es.

Talis quoque *Enumeratio* eſt in FRANCISCI FRANCHINI Epigrammate.
AD LEVCIAM.

Flori-

Floribus intextam varijs tibi mitto corollam,
Quos auida legi, picta per arua, manu.
Sunt nigræ violæ, ſunt lilia candida, ſunt &
Purpureæ, gelido non ſine rore, roſæ.
Sperne tamẽ cuncta hæc, mea Leucia, ſcinde corollam:
Lilia tu terris, tu roſa, tu viola es.

Verùm hæc *Nominum Enumeratio* venuſtiorem efficit concluſionem, ſi in ea ipſa Nomina eodem ordine, quo præpoſita ſunt, conſtituantur, vt factũ video à THOMA PORCACIO in Epigr.

De CHRISTO crucifixo.

Pro ſeruis Dominus moritur, pro ſontibus inſons,
Pro ægroto Medicus, pro grege Paſtor obit.
Pro populo Rex mactatur, pro milite ductor,
Proq; opere ipſe Opifex, proq; homine ipſe Deus.
Quid ſeruus, ſons, ægrotus, quid grex, populuſq;
Quid miles, quid opus, quidue homo ſoluet? amet.

Hęc etiam iuxta ordinem prępoſitum *Enumeratio* eſt in concluſione ſequentis Epigrammatis HIERONYMI SALINAE cæci,

Ad Poetas.

Chaoniam canitis natam Iouis arbore glandem;
Legiferæ, ſegetes, munera grata, Deæ.
Vos, vlmos, & apes complentes nectare cellas,
Et tardos canitis læta per arua boues.
Vos et equum canitis, qui fræna ſonantia mandit,
Atque arua, & multo gramine pingue pecus.

Sed mihi quid prodeſt audire hæc, ſi mihi deſunt
Glans, ſeges, vlmus, apes, bos, equus, arua, pecus?

Tali bene diſpoſita *Præpoſitorum Nominum Enumeratione* clauſum video Epigramma Vatis ingenioſiſſimi, cæci quoque, ſed oculatiſſimi, ALOYSII GROTI Hadrienſis; in cuius Epigrammatis concluſione plura enumerata cernuntur, quàm in allatis exemplis, afferendiſque.

DE ALEXANDRA VOLTA.

Mirandam Natura parans producere Voltam,
Hac volumus, dixit, pulchrius eſſe nihil.
Ex gemmis fecit dentes, quas oſtrea reddunt,
Ex auroq; comas, quod vehit vnda Tagi.
Exq; roſis Pæſti formauit labra rubentis,
Et lacte ex Siculo tunc cocunte manus.
Ex nitido frontem formauit Sole nitentem;
E Tyrijs tinxit purpura vecta genas.
Linguam ex Hyblæo formauit melle decoram,
Formauitq; pedes, quod legit Indus, ebur:
Gemma, aurum, roſa, lac, ſol, purpura, mel, ebur, ergo
Dens, coma, labra, manus, frons, gena, lingua, pedes.

Enumeratio etiam *Nominum*, præpoſito ordine diſpoſita videtur in ANGERIANI Epigrammate

DE COELIAE duritie.

Sunt duri ſcopuli, ſunt dura & marmora, durum
Et ferrum, in ſummis robora dura iugis.

Sunt

Sunt durę rupes, ſunt antra, & cornua dura,
Atque adamas durus, durum hyemale gelu.
Durior at ſcopulis, mea Coelia, marmore, ferro,
Robore, rupe, antro, cornu, adamante, gelu.

Et in OCTAVII BOLDONII Epigrammate,
In Laudem CAESARIS MONTII Card.
Arcimboldium Gymnaſium ſubeuntis.

Bella coruſcanti, dic, gemma includitur auro:
Bellus cæruleo Phœbus in axe micat.
Bellum depictis ſplendet laquearibus oſtrum:
Bellus flos viridi ceſpite vernat olens:
Bellaq; per liquidum volitat miniata volucris:
Bella replet templum fax radiata ſacrum.
Bellior in noſtro fulges tu, Monte, lyceo,
Gemma, Phœbo, oſtro, flore, volucre, face.

Et in IOSEPHI BAPTISTAE Epigrammate,
DE PROTEO.

Aſpice Carpathium ſpumoſo in gurgite Vatem:
Eſt Deus, & facies alterat arte ſuas.
Planta comam renouans, obducit cortice Numen,
Hirtaq; Getuli terga Leonis habet.
Oſtentat ramoſa leuis mox cornua Cerui,
Induit immanis pendula colla bouis.
Vngue ſolum pulſans, impexo crine ſuperbit,
Frenaque magnanimus ferrea mandit equus.
Ignis factus edax glomerata volumina torquet,
Inde cruentato dente videbis Aprum.

Sic miſer eſt, nimio Pomonæ captus amore;
Planta, Leo, ceruus, bos, equus, ignis, aper.

Et in eiuſdem BAPTISTAE Epigrammate:
De Pauſilypo.

Hæc plana ſollicitis dant pigra ſilentia curis;
Hic natura ſuas prodiga laxat opes.
Proceros nullo hic fuſcant diademate montes
Nubila; non Auſter per iuga celſa volat.
Argutat vitale melos, poſt remige penna
Humida Iunonis regna flagellat auis.
Vlmus pampineam ſobolem frondoſa maritat;
Sedula mellito murmure clangit apis.
Non æſtas, non ſæuit hyems; flos miſcet odorem,
Et tondet læto pabula dente pecus.
Ventilat herba comas, ridetq; aſpergine roris:
Porrigit è grato palmite poma ſolum.
Talia felices ſemper nos reddere poſſunt,
Mons, auis, vlmus, apis, flos, pecus, herba, ſolum.

Hac etiam *præpoſitorum Nominum* per ordinem bene diſpoſita *Enumeratione*, illuſtris Orator, & egregius Vates ALEXIVS à CONCEPTIONE, Anconitanus, noſtræ Religionis Aſſiſtens Generalis, ſequentia duo Epigrammata concluſit:

In B.Virginis MARIAE Natiuitate.

Blandidulo ſplendore micat gemma eruta conchis;
Aurora exurgens lucis honore flagrat.

Viſcere telluris defoſſum fulgurat aurum:
Sidus honorificum pandit ab Axe iubar.
Ros matutinus gemmantia conficit arua,
Et Roſa purpureas eiaculatur opes.
At modò quæ nata eſt; Virgo formoſior extat
Gemma, Aurora, auro, ſidere, rore, roſa.

In Eiuſdem Natiuitate.

Pulcher Olympiaco Phœbus radiatus in Axe;
Pulchraq; nocturno Stella nitore micat.
Pulcher Sidonio præfulget in æquore murex;
Pulchraq; Erythræi fulgida gemma maris.
Pulchrum diſtinctis rutilat laquearibus aurum;
Pulchra Mineruali pictaq; veſtis acu.
Pulchra etiam miniata volat per amœna volucris;
Pulchraq; in armato ceſpite nata roſa.
Pulchrior at Phœbo, Stellaq, hæc inclyta proles;
Murice, gemma, auro, veſte, volucre, roſa.

Ipſe etiam per hanc *præpoſitorum Nominum Enumerationem*, clauſi hoc Epigramma,

Ad mundanarum rerum amatorem.

Quæ ſpecioſa vides, & pulchra niteſcere terris,
Cœlica ſpectanti, turpia, fœda patent.
Diuitias & quas toto miraris in Orbe,
Pauperiem meliùs, mens cui celſa, putat.
Sunt curæ potiùs, quæ gaudia credis, & ipſa,
Ipſa quies, tantùm quam cupis, anxietas.
In Cœlo verè, ſpecioſaq;, pulchraq;, veræ

Diui-

Diuitiæ, vera & gaudia, vera quies.

Notandum, Lector, hoc loco putaui, gratiam omnem, & venuſtatem huiuſmodi *Enumerationis* elucere in fideli eorumdem *præpoſitorum Nominum* collocatione, neque enim abſque inconcinnitate, vt mihi quidem videtur, aliqua ex præpoſitis Nominibus, in concluſione prætermittuntur, aut immutantur, vt, ſi præpoſitis, Sole, Luna, Stellis, &c vtaris in concluſione, Phœbo, Cynthia, Sideribus, &c. aut periphraſticè exponuntur, vt ab aliquibus, alioquin bonis Epigrammatographis, factum deprehendi.

Animaduertendum præterea eſt, non adeò *Enumerationem* eam, concinnam, ac venuſtam eſſe, quippè quæ ingenua minùs eſt, & naturalis, in qua nomina non eodem numero, ſingulari videlicet, aut plurali, quo præpoſita fuerunt, poſita cernuntur. Tamen cum hæc *Enumeratio* difficillima interdum ſit, ipſa numeri mutatio adhiberi interdum, tolerariq́ facile poteſt; quam quidem numeri mutationem ab aliquibus admiſſam eſſe, nonnullis exemplis ſupra poſitis, planè patet.

Ac mihi quidem licet non arrideat ea *Enumeratio* (quamquam, cum talis ſit in MARTIALIS Epigrammate ſuprà allato, non reprehenſioni locus eſſe videtur) in qua videlicet, nomina quidem cuncta; quæ præpoſita fuerunt, poſita inſpiciuntur, ſed ordine priore non ſeruato, placet tamen

Enumeratio, per rectam retrogreſſionem diſpoſita: quali retrogreſſione aures plurimùm delectantur. Hanc *Enumerationem* video in hoc Epigrammate IOVIANI PONTANI, vbi VIOLINA puella ſic loquitur.

Prata mihi tumulum præbent, violæq; ſepulchrum
Fronde tegunt; mirum, ſi Violina vocer?
Non mihi thure opus eſt, aut nardo, aut Arabe myrrha:
Myrrha mihi, & nardus, thuraq: ſunt violæ.

LOCVS X.

Argutia ex Inopinato, ſiue Inexpectato.

Apud MARTIALEM in Epigr. xx. *lib.* III.

DE CANIO.

Dic, Muſa, quid agat Canius meus Rufus:
Vtrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An, quæ Neroni falſus adſtruit ſcriptor?
An æmulatur improbi iocos Phædri?
Laſciuus elegis, an ſeuerus herois?
An in cothurnis horridus Sophocleis?
An otioſus in ſchola poetarum
Lepore tinctos Attico ſales narrat?
Hinc ſi receſſit porticum terit templi?
An ſpatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatæ ſole rurſus Europæ

Inter

Inter tepentes poſt meridiem buxos
Sedet, ambulatue liber acribus curis?
Titìne thermis, an lauatur Agrippæ?
An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
An Pollionis dulce currit ad quartum?
An æſtuantes iam profectus ad Baias,
Piger Lucrino nauiculatur in ſtagno?
Vis ſcire; quid agat Canius tuus? ridet.

Expectaſsèſne vnquam, Lector, hanc concluſionem? Idem ab *inexpectato* claudit Epigr.LI. *lib.*VI.

AD LVPERCVM.

Quòd conuiuaris ſine me tam ſæpè, Luperce,
Inueni, noceam qua ratione tibi.
Iraſcar, licèt vſque voces, mittaſque, rogeſque:
Quid facies? inquis. quid faciam? veniam.

Expectabatur ex præcedentibus, MARTIALEM LVPERCO reſponſurum, ſe vocatum, minimè venturum: at ille *præter expectationem* reſpondit, ſe venturum, vt ſic LVPERCVM auarum offenderet.

Idem *ex inopinato* claudit Epigr.VIII. *lib.*X.

DE PAVLLA.

Nubere Paula cupit nobis, ego ducere Paullam
Nolo; anus eſt: vellem, ſi magis eſſet anus.

Ex ratione, quam MARTIALIS attulit, cur Paullam nollet ducere, quòd illa videlicet, eſſet anus. expectabatur, ipſum dicturum, ſe Paullam ducturum, ſi fuiſſet iuuenis; at ab *inopinato* concluſit, ſe eam ducturum, ſi magis fuiſſet anus, ideſt, capulo magis vicina, breuique moritura, vt quamprimùm ſibi amplæ dotis hæreditas obueniret.

Inopinata eſt etiam Concluſio

Apud eumdem in Epigr. XCIII. *lib.* XI.

IN ZOILVM.

Mentitur, qui te vitioſum, Zoile, dixit:
Non vitioſus homo es, Zoile, ſed vitium.

Expectabatur quidem, Pentametri talis finis, *ſed bonus es*, vt tale eſſet totum carmen,

Non vitioſus homo es, Zoile, ſed bonus es.

Verũ, quid hac cõcluſione fuiſſet frigidius? ita enim dicendo, obiurgationis ergo flenti adoleſcentulo lacrymas compeſcere ſolemus. Sed MARTIALIS *præter expectationem*, ZOILVM ipſum vitium eſſe dixit.

Cum ſuperioris Diſtichi imitatione, THOMAS MORVS ſic locutus

IN GELLIAM.

Mentitur, qui te dicit, mea Gellia, fuſcam:
Iudice me, non es, Gellia, fuſca; nigra es.

Sed profectò MORVS ad MARTIALEM propiùs acceſſiſſet, ſi potiùs ita dixiſſet;

Menti-

Mentitur, qui te fuſcam, mea Gellia, dixit:
Non fuſca es mulier, Gellia; namque nigra es.

Imò prorsùs illius veſtigijs inſtitiſſet, ſi ita proceſſiſſet, argumento ſic variato.

Mentitur, qui te nigram, mea Gellia, dixit:
Non nigra es mulier, Gellia, ſed nigror es.

Inexpectata Concluſio eſt etiam, Apud eumdem in Epigr. XCIV. *libri* eiuſdem.

DE THEODORO.

Pierios vatis Theodori flamma Penates
Abſtulit: hoc Muſis, hoc tibi, Phœbe, placet:
O ſcelus, ò magnum facinus, crimenque Deorum,
Non arſit pariter quòd domus, & Dominus.

Videbatur priùs, MARTIALIS exclamare ob incẽdium domi THEODORI, tanquam amici, ſed ex concluſione, quam præter *expectationem* attulit, innotuit, queſtum fuiſſe, quod non vna cum ædibus ipſe quoque Dominus combuſtus fuerit. Idem THOMAS MORVS hoc etiam ab *inopinato* Epigramma concluſit,

De Aſtrologo quodam ridiculo.

Non Cumæa ſacro vates correpta furore,
Certiùs afflata mente futura videt.
Quàm meus Aſtrologus diuina clarus in arte.
Præuidet, inſpecto ſidere, præterita.

Lepidè profectò MORVS clauſit *præter expectatio-*

nem, ſed lepidiſsimè IACOBVS BIDERMANVS *præter omnē prorsùs expectationē* clauſit Epigr.quo IRVS pauper, iculariter inuitat PAVLLVM ad cænam.

O ruris decus aureum beati,
Canæ gloria nobilis ſenectæ,
Ad nos, Paullæ reuiſe, cænulæque
Vel rex eſto, vel arbiter modeſtæ.
Plena ſtridulus Anſer in culina
Inſuetos hodie fatigat ignes,
Et dudùm à verubuſq; flammuliſq;
In ſtratas parat inuolare menſas.
Porcelli quoque grunnientis exta,
Et Lucanica ventre de ſuillo,
Et fartæ piperata fruſta pernæ
Iam feſtas onerant ſuperba lances.
Iam ſtructor iubet, imperatq; carptor:
Iam totas coquus explicat culinas,
Et nullos queritur venire dentes.
Nondum ſentio me, inquis, eſurire.
Pranſus denique te eſurire dices.

Arridet etiam mihi plurimùm *Argutia ex Inopinato* in concluſione ſequentis Epigrammatis ALOYSII GROTI cœci, Hadrienſis; quod eſt

EPITAPHIVM

Quatuor puellarum, vno tempore ſubmerſarum.

Quatuor hoc tumulo poſitæ ſimul ecce puellæ
Aetate, interitu, virginitate pares.

Vna

Vna tegit tellus, velut vnica ſuſtulit vnda;
Vna dies rapuit, condidit vna dies.
Iunxit amor viuas morituras nauis, & annis
Mors morientes, & mortua membra lapis.
Diſce, puella, nec ætati, nec fidere formæ,
Vna hora perdi forma, iuuenta poteſt.
Bis binæ; ſed ſi non fles, potes addere quintam:
Quinta erit hic pietas, nam tumulata ſimul.

Ingenioſa, & arguta ſanè concluſio, ac mihi quidem *præter expectationem*: eam tamen ita maluiſſem.

Quatuor hic; ſed erit, ni fleueris, addita quinta:
Quinta erit, ah, pietas, hic tumulata ſimul;

Sic enim mihi videtur aptiùs, & melius exprimi ipſa *Argutia*: Atque hoc Pentametrum

Vna hora perdi forma, iuuenta poteſt,

reſpondiſſet quidem aptiùs ſuo Hexametro

Diſce, puella, nec ætati, nec fidere formæ;

ſi tale fuiſſet, repetita eodem nomine, *ætate*, dum eodem nomine *forma* reponitur,

Vna ætas perdi, formaq; luce poteſt.

Ipſe quoque interdum per huius generis *Argutiam* Epigrammata concluſi, quorũ tria, quæ ſequũtur.

Amoris cauſa QVINCTVS inſanus factus, & ex caſu voluntario ad mentis ſanitatem reuocatus, ſtultior, per inopinatam Argutiam, oſtenditur euaſiſſe.

Quin-

Quinctus Amatricis rapido inflammatus amore,
Conſortem thalami quæritat eſſe ſui.
Nubere cumq; illam fratres, vnaq; parentes,
Cognatiq; vetent, Quinctus amore furit.
Præcipitemq; amens ſe ſe deturbat ab alto,
Cruribus & læſis limina claudus adit,
Mentem quiſque putat reuocatam; pectore Amatrix,
Pulſa procul; thalami pectore pulſus amor.
Hiccine nunc, homines, ſanus? ne credite: non eſt:
Quin amens Quinctus factus amore magis.
Scitis, Amatricem cur temnit? claudus vt alter
Mulciber, hic Venerem nunc putat eſſe ſuam.

Cantori abſono], ſed vocem ſuam valde iactanti Fœminæ plorantis inexpectata reſponſio.

Ridiculè incompto ſtrepitat dum cantor hiatu,
Fœmina largifluis fletibus ora rigat.
Cui lacrymas mouiſſe ratus cantu ille ſonoro,
Dic, inquit, fletus fortè ego cauſa tui?
Fletus, illa, mei, reſpondet, cauſa fuiſti;
Voce tua, lacrymis immaduere genæ.
Nunc ſiquidem, heſterna clamantis luce, voracis
Dente lupi, eſt aſini, vox tua viſa mei.

De Pygmæis duobus,

Quorum alter latrocinijs famoſus fuit, alter hiſtrionia, vterque MOLON appellatus.

Pygmæi vixere duo; de nomine, Molon
Dicti ambo: alter fur, hiſtrio & alter erat.

Hiſtrio & alter erat? ſit, fur quoque, callidiorque;
Ille metu nummos abſtulit, iſte iocis.

Ediſcas hic, Lector, aliquid per ſe ſimplex, & vulgare, poſt aliqua ingenioſè præmiſſa, *præter expectationem* illatum, argutum euadere, plauſumque adipiſci. Cum, ingrediente Mediolanum Cardin. ALDOBRANDINO, pacem conciliaturo inter Reges, plurima inſtrumenta bellica honoris gratia diſploderentur, æneum tormentum, italicè *Bombarda*, crepuit: Hinc illius Vrbis Academicis oblata occaſio multa argutè dicendi. Quorum vnus cum eruditè, & ingenioſè plurima dixiſſet, ita demũ, *præter expectationem* clauſit Epigramma.

Ominis arcanum quæris? faber inſcius, Aeri
Impoſuit nimium pulueris, & crepuit.

Ipſeque vnus ex omnibus, qui in idem luſerant argumentum, maiorem plauſum adeptus fuit.

Idemque Romæ alteri contigiſſe, teſtis ego ſum; qui interfui; Hic enim in Academia habita in noſtris Aedibus, cum multorum ingenioſas interpretationes Gentilitij Stẽmatis CLEMENTIS IX. Pont. Max. perbellè retuliſſet, nullas tamen approbaſſet, ſeque vero verius dicturum fuiſſe affirmaſſet, intulit id *ex inopinato*.

. , . . . *hæc ſunt*
Clementis Noni Stemmata Pontificis.

Quam *inexpectatam Concluſionem* maximus omnium plauſus conſecutus eſt.

Ex

De toto Epigrammate.

CAPVT VII.

Licèt ſatis pateat, cum de vtraque Epigrammatis Parte, *Narratione* videlicet, & *Argutia*, atque vtriuſque *Virtutibus*, *Lociſq;* ac *Modis* inſignioribus, quibus ipſæ Partes comparantur, actum iam ſit, qualenam *Epigramma* eſſe debeat, vt ſit optimum, tamen libet hoc vltimo Capite, maioris voluptatis, vtilitatiſq; gratia quædam alia oſtendere, quibus *Epigramma* optimũ conſtituitur.

Sciendum igitur eſt, optimum eſſe *Epigramma*, in quo,

Vel { *Fel* / *Acetum* / *Sal* } eſt

Fel eſt in Epigrammate, dum eo obiurgamus, obtrectamus, maledicimus; quod *exercere licet bono viro (inquit Scaliger) modò fiat ſine opprobrijs, & conuicia ſint ciuilia ad malos mores deteſtandos.*

Acetum eſt in Epigrammate, dum eo carpimus ſine maledictis.

Sal eſt in Epigrammate, dum eo riſum quidem captamus, ſed non vituperamus, leuiſſimè autem mordemus.

Huius autem triplicis generis Epigrammata colliguntur ex hoc MARTIALIS Epigrammate XXIV. Lib. VII.

In

In malum Poetam.

Dulcia cum tantùm ſcribas epigrammata ſemper,
Et ceruſſata candidiora cute,
Nullaq; mica ſalis, nec amari fellis in illis
Gutta ſit, ò demens, vis tamen illa legi?
Nec cibus ipſe iuuat morſu fraudatus aceti;
Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.
Infanti melimela dato, fatuaſq; mariſcas;
Nam mihi, quæ nouit pungere, Chia ſapit.

O quot melimelis, fatuiſq; mariſcis, Epigrammatis videlicet tantùm dulcibus & mollibus, nihil prorſus argutis, paginas impleuerunt. Plures quandoque centurias Epigrammatū legendo percurri, in quibus nihil argutum deprehendi. At qui huiuſmodi Epigrammata conficiunt, languida, imò mortua conficiunt Epigrammata; carent enim anima, quam infundit *Argutia*.

Huius autem triplicis generis Epigrammatum exempla cum MARTIALIS, tum aliorum quamuis hoc in libro paſſim ſe ſe offerant, placet tamen, ad maiorem voluptatē, Epigrammatum illorum, in quibus *iocoſæ* quædam *argutiæ* continentur, hic exempla quædam alia proponere.

Tale eſt apud MARTIALEM Epigr. XXIV. lib. IV.

AD FABIANVM

Omnes, quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas
Extulit; vxori fiat amica meæ.

Et apud eundem Epigr. XXX. libri V.

AD

AD GELLIAM.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis:
Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris.
Si non derides, ſi verum, lux mea, narras,
Ediſti nunquam, Gellia, tu leporem.

Et apud eundem Epigr. L. libri eiuſdem.

AD LABIENVM.

Vidiſſem modò forte cum ſedentem
Solum te, Labiene, tres putaui,
Caluæ me numerus tuæ fefellit.
Sunt illinc tibi, ſunt & hinc capilli,
Quales nec puerum decere poſſint.
Nudum eſt in medio caput, nec vllus
In longa pilus area notatur.
Hic error tibi profuit Decembri,
Tunc, cum prandia miſit Imperator.
Cum panariolis tribus rediſti;
Talem Geryonem fuiſſe credo.
Vites, cenſeo, porticum Philippi:
Si te viderit Hercules, periſti.

Et apud eumdem Epigr. XXXVI. libri VII.

Ad CASTRICVM, de theta.

Noſti mortiferum Quæſtoris, Caſtrice, ſignum;
Eſt operæ pretium diſcere theta nouum.
Exprimeret quoties rorantem frigore naſum,
Lethalem iuguli iuſſerat eſſe notam.
Turpis ab inuiſo pendebat ſtiria naſo,
Cum flaret madida fauce December atrox.

Celle-

Collegæ tenuere manus : quid plura requiris ?
Emungi miſero, Caſtrice, non licuit.

Et apud eundem in Epigr. LXXXV. libri XI.
Ad ANTIOCHVM tonſorem.

Qui nondum Stygias deſcendere quærit ad vndas,
Tonſorem fugiat, ſi ſapit, Antiochum.
Alba minùs ſæuis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.
Tondeat hic inopes Cynicos, & Stoica menta,
Collaq; puluerea nudet equina iuba.
Hic miſerum Scythica ſub rupe Promethea radat:
Carnificem nudo pectore poſcet auem.
Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus,
Antiochi tantùm barbara tela ſonent.
Hæc quæcumque meo numeraſti ſtigmata mento,
In veteli picta qualia fronte ſedent,
Non iracundis fecit grauis vnguibus vxor:
Antiochi ferrum eſt, & ſcelerata manus.
Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor:
Barbatus viuit, ne ferat Antiochum.

Concluſio hæc, in qua iocosè admodum de hirco, monuit me, vt hic ſubderem hoc Diſtichon, è Græco in latinum conuerſum.

Si promiſſa facit ſapientem barba, quid obſtat,
Barbatus poſſit quin caper eſſe Plato?

Iocoſa quoque *Argutia* continetur in hoc AVSONII Epigrammate,

De

De RVFO Rhetore.

Rufus vocatus rhetor olim ad nuptias,
Celebri fit vt conuiuio,
Grammaticæ vt artis ſe peritum oſtenderet,
Hæc vota dixit nuptus:
Et maſculini, & fœminini gignite,
Generiſq; neutri filios.

Riſus etiam excitatur Epigrammate Græco, à THOMA MORO ſic latinè reddito.

De reo, actore, & iudice, ſurdis.

Lis agitur, ſurduſq; reus, ſurdus fuit actor,
Ipſe tamen Iudex ſurdus vtroque magis.
Pro ædibus hic petit æs, quinto iam menſe peracto:
Ille refert tota nocte mihi acta mola eſt.
Aſpicit hos iudex, &, Quid contenditis? inquit?
An non vtrique eſt mater? vtrique alite.

Et hoc, ab eodem THOMA MORO compoſito,

De Scurra paupere.

Scurra vbi iam fures tota ſibi nocte videret
Scrutantes magna ſedulitate domum,
Riſit, &, O, media quid, vos, hic nocte videtis?
Miror, ait: media nil ego cerno die.

Et ſequẽtibus duobus Diſtichis PHILOMATHI, ſiue FABII CHISII, à me ſupra varijs locis nominati.

DE IOANNE LATOMO,

Qui

Qui Epigrammata inſcripſit tumulis ad IOVII Elogia.

Vile facit carmen Latomus; dat manibus illud
Munus, quod viuis vendere non potuit.

DE CAMILLO QVERNO.

Cum ſatur eſt Quernus, ventoſa poemata ructat:
Non eſt id capiti, ſed ſtomacho ingenium.

Iucundam Argutiam habent etiam ſequentia duo Epigrammata IO: ALOYSII CERCHIARII, & ſapidam profectò argutiam, in ipſis enim ineſt Sal; & meritò, nam in primo, de iure, dapibuſq; agitur, āltero autem, de ſue, quibus rebus Sal opus eſt, vt ſapidæ ſint.

C. CLAVDIVS CAESAR, dum ius diceret, tactus nidore fumi, è ſolio deſilijt cænaturus.

Cæſare dum pendens agitatur iudice cauſa,
Ac ſua ſollicitus iura patronus agit,
Senſit inhalatum vicino Cæſar odores
De lare, & appoſitas Martis in æde dapes.
Deſilit è ſolio, Templiq; repoſta penetrans
Atria cum myſtis myſta guloſus adeſt.
Scilicet ambigui iactatur quæſtio iuris:
Quod ius ſit melius, noſcere Cæſar auet.

De ſue, qui in quodam Collegio, contubernales duodecim gallinas vorauit.

Cum ſue viuebant vili ſub tegmine pulli,
Quos ſtabuli dudum iunxit amica quies.
Sed cum dira fames auidum corroderet aprum,
Pullorum pepulit carnibus ille famem.
Quæ ponent poſt hac ciuiles fercula menſæ;
Incipiunt pulli ſi cibus eſſe ſuis?

IOSEPHVS BAPTISTA, iocoſo DIOGENIS dicto ſequens claudit Epigramma.

Fœmina de quercu laqueo ſuſpenſa tenaci eſt,
Hirta comas, oculos turgida, nigra genas.
Hanc videt exoſam Cynicus, cui dolia tectum,
Dolia per fluxos non peritura dies.
Lætatur, muſſatq; labris: ô fructibus iſtis
Quælibet in terris arbor onuſta foret.

Tria tantum Epigrammata ex meis, hic ſubdo, in quibus *Argutia iocoſa*. Qui plura deſiderat, legat Lib. IV. meorum Epigrammaton, qui huiuſmodi Epigrammatis plenus eſt: quorum etiã aliquot ſupra allata, infràq; etiam afferentur. Cuius IV. Libri primum eſt, quod ſequitur.

De EVRYLOCHO auditore PYRRHONIS Elidẽſis, perquàm bilioſo, & iracundo,
Ad Sapientiſſimum Virum, meiq; amantiſſimum ANTONIVM MAGLIABECHIVM,
Magni Hetruriæ Ducis Bibliothecarium.

Antoni, Aonidum decus immortale ſororum,
Dulcis amicitiæ fœdere iuncte mihi,

Audi

Audi, quò Eurylochum raperet grauis impetus iræ,
Et mecum riſum comprime, ſi potis es.
Sæpe veru arrepto toſtis cum carnibus ardens,
Concuſſiſq; fremens dentibus Eurylochus,
Voce forum fuit vſque, cocum minitante ſecutus;
Transfixuſq; cocus procubuiſſet humi,
Ni pedibus melior (pedibus timor addidit alas)
Vitaſſet dextram præcipitantis heri.
Qui quamuis tanto ferueſceret igne furoris,
Expers omninò non pietatis erat.
Vncto, & odorifero terebrando viſcera ferro
Optabat, ſapida ſternere morte cocum.

Alterum

De Præceptore in Vrbe Ancona, nimis rigido, induſtria HIERONYMI MAZAEI patrui Authoris, bellè illuſo.

Ad ſeueros Magiſtros.

Anconæ ſic olim affata Iuuenta magiſtrum
Sat rigidum, tetricum, difficilemq; virum.
A' ſtudijs liceat cras, ò Præceptor, abeſſe;
Sic ſemper iuſſit, craſtina feſta dies.
Credendum ſi fortè putas non eſſe iuuentæ,
Conſule maiores, conſule quòſue lubet.
Ille autem oſtentans rugas, vultumq; Catonis
Erecto damnat vota ſupercilio.
Mazæus petit ergo vafer bene mane Lyceum,
Et condiſcipulis ſic properanter ait:
Protinus hinc duri cathedram remouete magiſtri,
Atque in conſpectu ponite ſcamna fori.

Ille ibi, quanta vult, voce horridus, aera pulſet
Solis ab exortu, Solis ad interitum.
Dumque ſcholam repetit ſolito de more magiſter,
Diſcipulos nullos, nullaq; ſcamna videt.
Duritiem, Præceptores, deponite, ne ſe
Dent cum diſcipulis ſcamna vel ipſa fugæ.

Tertium

Ad CINNAM IRREQVIETIVM Mercatorem, remedium ſępiſſimè petentem contra Cœlum Romanum, Neapolitanumq;

Me modò cum Romę diuerſa negotia cogant.
Et modò me cogant ſiſtere Parthenope;
Aere Parthenope capiti ſit noxia, Roma
Cruribus; huic, medici, quæ medicina malo eſt?
Vocibus his medicos nulla non luce fatigas,
Nec, niſi defeſſis auribus, ire ſinis.
Præſcribantq; licèt medicamina plurima Cinna,
Proſunt omninò nil tamen illa tibi.
Ergo, ne medicos pergas grauis angere, crura
Neu tibi Roma grauet, Parthenopeq; caput,
Nunc ego te miram medicinam, Cinna, docebo:
Pone caput Romæ, cruraq; Parthenope.

Prætereà optimum eſt Epigramma, quod eſt *ingenioſè compoſitum*: *Ingenioſè* autem *compoſitum* eſt, ſi conſtet ex *aliquo, aptè, venuſtè, aut lepidè excogitato*. Cum autem in hoc Libello huius generis Epigrammata plurima poſita ſint, hic pauca inſeram.

Tale

Tale eſt MARTIALIS Epigr. LXXXVIII. *lib.* IX. De SILII Filio.

Feſtinata ſui gemeret cum fata Seueri
Silius, Auſonio non ſemel ore potens,
Cum grege Pierio mœſtus, Phœboq; querebar;
Ipſe meum fleui, dixit Apollo, Linon.
Reſpexitq; ſuam, quæ ſtabat proxima fratri
Calliopen, & ait: tu quoque vulnus habes.
Aſpice Tarpeium, Pallatinumq; Tonantem:
Auſa nefas Lacheſis læſit vtrumque Iouem.
Numina cum videas duris obnoxia fatis,
Inuidia poſſis exonerare Deos.

Nec non tale Epigramma nobiliſſimi Vatis IACOBI SANNAZARII, De Venetijs Vrbe admirabili.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare Vrbem, & toto ponere iura mari;
Nunc mihi Tarpeias quantumuis, Iupiter, arces
Obijce, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers, Vrbem aſpice vtramque:
Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

Et Epigramma venuſtiſſimi Poetæ noſtri, CAMILLI à S. HIERONYMO, In CHRISTI Natalitijs de Menſe Decembri, cum alluſione ad illud: Nox, ſicut dies, illuminabitur.

Per minimas, ſub Sole breui, ſua tempora, luces,
Extenta mœſtus nocte December agit.

Aſt vbi Sol oriens æternus nocte coruſcat,
Extenta lætus nocte December ait:
Sole dies, nox Sole nitet: mea tempora, noctis
Neſcia, ſub duplici Sole perennis agam.

Taliaq. ſunt tria, quæ ſequuntur, optimi Vatis, & Oratoris, CAROLI IOANNIS à IESV, noſtræ Religionis Procuratoris Generalis.

De Beatæ MARIAE VIRGINIS pulchritudine.

Vt conſpexit Amor præſtanti corpore Natam,
O vtinam poſſim pingere, dixit Amor.
Et molles carpens Pæſtano in gramine flores,
Diluit in tabula lilia mixta roſis.
Sed candor vultus candentia lilia vincit,
Puniceaſq; roſas purpura viua labri.
Aduolat, & piſcans Erythræo littore conchas,
Oſtrum de Tyrio fonte colorat opus.
Pulchrior at facies: impar reſpondet imago,
Nec formæ ſimilis reddita forma ſuæ.
Tunc iratus Amor, quàm tenuia munera Tellus!
Tenuia quàm profert munera Pontus! ait.
Regna ſuperna petit, Soli ſubducit & aurum,
Candorem Lunæ, ſideribuſq; iubar.
Sic ſimilem pingit: cœleſtis prodit imago,
Plantas Luna, aſtris tempora, Sole ſinus.

De eiuſdem BEATAE VIRGINIS Nomine.

Vt Cœlum, Tellus, Ignis, Maris vndaq; claras
Senſerunt cunas, paruula Virgo, tuas,
Continuò fertur magno certaſſe tumultu,
Quis potiùs Natæ nomina digna daret.
Cœleſtis Virgo Cœleſtia nomina poſcit,
Cœlum ait, & Cœlum nomina celſa dabit.
Ad Terræ decus humano velamine prodit;
Quid non & nutrix nomina Terra feret?
Ignea diuino quæ ſemper flagrat amore,
Ex igne accipiat nomina digna, decet.
Virgo, maris quæ ſtella nitet fauſtiſſima nautis,
Exigit à placido nomina blanda mari.
Certatur validè, palmæq; ſit arbitra Virgo,
Excipiat potiùs nomen vt ipſa velit.
Ex igne ardentem cœpi flammam, inquit, amoris,
E Cœlo mentem, corpora Terra dedit.
Nil dabit ergo mare? hoc, Mariæ det nobile nomen:
Sic æquè gaudent munere quæque ſuo.

In Laudem Adm. R. P. CAMILLI à S. HIERONYMO Collegij noſtri Nazareni Rectoris, ob variarum Orationum volumen, cuius Inſcriptio, FLORVM FASCICVLVS, cum alluſione ad Inſigne Academiæ INCVLTORVM eiuſdem Collegij, in quo Ager vireſcens, cum dicto: *Proſperabuntur.*

Auſoniam fertur mœrens adijſſe Mineruam
Flora, & ſollicitas haſce dediſſe preces:

En mea Nazaridum ſqualeſcunt ſentibus arua ;
Arua ſub inculti *nominis orta ſolo .*
Vlteriùs careant , nolis hæc arua , colono ;
Quæ ſi culta forent , florida prata forent .
Annuit his Pallas , lectuſq; ex omnibus vnus
Qui colat hæc , inquit , prata , Camillus erit .
Excoluit calamo , ſuado nunc excolit ore :
Direxit calamum Pallas , & ora regit .
Quid mirere igitur , tanto cultore , quòd idem
Qui priùs incultus , ſit modò proſper *Ager ?*

Subdam hic *ingenioſum* Epigramma egregij Vatis IO. FRANCISCI à S. PETRO , Mutinenſis : & profectò appoſitè hìc ſubdam,namq. & Sacerdotis eiuſdem noſtræ Religionis , & memorati Patris CAROLI IOANNIS olim Auditoris,eiuſdemque Collegij Nazareni Præceptoris .

VIRGO MARIA HORTVS VOLVPTATIS.

Lis erat in Cœlis Diuinum agitata tribunal
Ante , quibus Virgo dotibus orta micet .
Singula Virtutum certabant agmina , donis
Vt fieret compar edita Virgo ſuis .
Diuus Amor , roſeum quòd præſeferret , itemq;
Liliacum optabant Speſq; , Pudorq; decus .
Optabat ſimilem Cedro Sapientia , Palmæ
Gloria ; Pax Oleæ , Gratia vellet Aquis .
Audijt Omnipotens : componat vt illico litem ,
Orta , Voluptatis Virgo *ſit* hortus *, ait .*

Aptè, venuſtèque etiam procedit Epigramma IOSEPHI SILOS, In obitu LVDOVICI XIII. Galliarum Regis.

Lutetia in magna funeſta cadauera Regis
Magnanimi fera Mors vidit, & indoluit.
Indoluit rupiſſe breuis fila aurea vitæ,
Nec dum matura diſſoluiſſe die.
Parce, inquit, ter magne, tu is, Ludouice, trophæis;
Parce tuis palmis, inclyte, parce tibi.
Namq; ego quid peccem? numero tua bella, triumphos
Supputo, & annoſum te reor eſſe ſenem.
Sic tua te læſit virtus maturior æuo,
Eſtq; meum vulnus, culpa ſed ipſa tua eſt.

Et Epigramma IOSEPHI BAPTISTAE, In obitu Pueruli.

Inuidet intonſus Puerum Ioue natus Apollo;
Aureolumq; comas, lacteolumq; genas.
Miſſile ſic torquens, pueri præcordia figit;
Figit, & hos rabido fundit ab ore ſonos:
O pereas, pulchelle Puer, Puer æmule: mundus
Haud potis eſt Soles vnus habere duos.

Et Epigramma, quod legitur Patauij in quodam Lapide Sepulchrali.

Hac octo iacui iam luſtra, vel ampliùs, vrna;
Læſerunt tantæ nec mea membra moræ.
At dum neſcio quis, mihi nunc adiungitur alter;
Saucior, & lacero corpore damnoſero.

Qui-

Quiſquis es, aut vita debebas parcere functæ;
Aut dare, qui medica me modò ſanet ope.

Superiori Epitaphio addo meum
Epitaphium SAXONIS Poetæ, vinoſi.
Hic ego qui iaceo, rubicundi cultor Iàcchi,
Immodico perij Saxo poeta mero.
Hàc qui carpis iter, lacrymas ne funde, viator;
Sed Bacchi, cineres ſparge liquore meos.
Semper vt in vita mihi dulcia vina fuere,
Sic functo vitæ munere, vina placent.
Odi ego ſemper aquas; mihi ſemper dulcia vina:
Nolo tuas lacrymas; dulcia vina volo.

Ex *commento* quoque *aptè excogitato,* confeci ſequẽs Epigr. in quo,
Baiulus marmoreus, cum cado, ridens,
(Fons Romæ, in Via lata)
Sic reſpondet viatori, percontanti, cur rideat.
Hic, qui fundis aquam, cur, inquis, Baiule, rides?
Rideo, quòd potas, feſſe Viator, aquam.
Quæ mihi ſola placent, me feruida vina putabam
Ferre domum; illuſus munere, vas vacuo.
Sed, quam proijcio, tu protinus ebibis vndam:
Rideo tam vilem, ridiculamq; gulam.

Audiat, qui velit, eùmdem Baiulum, in eandem Sententiam alia argutè reſpondentem, *lib.* IV. MVSARVM ANCONITANARVM.

Dixi, non ſolùm, *ingenioſum eſſe* Epigramma *per aliquid*

aliquid aptè, venuſtèq; ſed etiam lepidè excogitatum
Tale eſt Epitaphium IOANNIS FOSSAE,
Vatis iucundiſsimi.

Hæc ſunt in foſſa Foſſæ mirabilis oſſa,
Qui ſibi, condendo verſus cere comminuit brum.
Ideſt, *qui ſibi, condendo verſus, cerebrum comminuit.*

Rarò tamen in hoc genere, & in quibuſdam alijs difficilibus; minuſq; vſitatis compoſitionibus, de quibus hoc vltimo Capite agere decreui (niſi peculiaris ſit genius) te, Lector, exerceas, ne vnà cũ hoc Vate, tibi quoque cerebrũ comminuas.
Tale eſt etiam IOANNIS OVVENI Diſtichon.

Do, re, mi, fa, ſol, la, dum tollitur Aulicus, inquit:
La, ſol, fa, mi, re, do, dum cadit alter, ait.

Taliaque ſunt mea duo, quæ ſequuntur.
Verbum, Nubo,
cum datiuo, vel ablatiuo iungi, lepidè oſtenditur.
AD IOSEPHVM BERNERIVM,
Poetam perquàm lepidum.

Quàm bene, Berneri, iungi dixere datiuo,
Aut ablatiuo, nubere, *Grammatici*.
Sæpe fit, vt nuptam vexet, crucietq; maritus,
Injciatq; feras barbarus vſque manus;
Auferat aut nupta, infidus bona cuncta, relicta;
Ducat & ablatis, tempora læta, bonis.
Dum legis hæc, rides? non ridet nupta, Datiuo,
Aut Ablatino coniuge, preſſa malis.

De

De P. OVIDIO NASONE,

In cuius carminibus, frequenter varia eſt verborum lectio.

AD AVITVM HILARIVM.

Pelígni Vatis, quæ tanta licentia, Auite,
Plurima tam varijs ducere verba modis?
Quilibet (improbitas) Naſonem vexat, & angit.
Naſoni naſum ducere quemque iuuat.
O miſerum: viuum innumeri torſere dolores;
Eſt quoque defunctum pœna ſecuta ſenem.
Viuenti naſus Naſoni longus an eſſet,
Neſcio, defuncto longus, Auite, patet.

Ingenioſum quoque eſt Epigramma,

Ex { *Correlatione*, *Dialogo*, *Echone*, *Anaſtrophe*, *Anagrammate*. }

Quorum generum Epigrammata nunc afferemus, eodem ordine, quo ipſa genera collocauimus.

Epigramma
Ex Correlatione.

Quamuis Epigramma ex *Correlatione*, quæ fit, cum ſingula ſingulis ordine referuntur, nullum omninò ſit apud MARTIALEM, neque ego vnquam compoſuerim, ipſum tamen Lectoribus propono, eſt enim in primis *ingenioſum*.

Quale

Quale eſt hoc, quod VIRGILIO attribuitur.

Paſtor, Arator, Eques, paui, colui, ſuperaui;
Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu.

Et hoc SIMONIS VALLAMBERTI,
In Statuam Regis.

Rex, Vates, Lyricen, Mauortis, Apollinis, Orphei,
Geſto, cano, tango, ſceptra, poema, lyram.

Quis clarè non videat id fere totum in concluſione ſequentis Epigrammatis FAVSTI SABAEI, de FRANCISCO Galliæ Rege? ſic enim canit.

Audiat hoc tellus, mirabitur Amphitrite,
Quæ loquor in Reges, magnanimoſq; Duces.
Quiſnàm erit Heroum, qui ſe ſe conferat vnquam
Gallorum Regi, moribus, ore, manu?
Fulminat enſe, animo moderatur,, pectine pulſat,
Vt Mars, Rex, Vates, agmina, ſceptra, lyram.

Et hoc, è Græco à THOMA MORO latinè redditũ.

Taurus, Olor, Satyruſq; ob amorem Iuppiter aurũ eſt,
Europes, Ledes, Antiopes, Danaes.

Quod quidem dulciùs reddidit ANGERIANVS: ita enim conuertit.

Fit Cycnus, Taurus, Satyrus, fit Iuppiter aurum,
Ob Ledam, Europen, Antiopen, Danaen.

Et hoc BERNARDI BAVHVSII, cuius lemma, Quibus verbera.

Nox,

Nux, Aſinus, Campana, piger, ſine verbere ceſſant:
Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille iacet.
Sed ſimul vt ferri plagam ſenſere, vel vlmi,
Hæc cadit, hic pergit, hæc ſonat, ille ſtudet.

Et hoc Diſtichon, quod legi apud FRANCSICVM SVVERTIVM in lib. Monumentorum, & Inſcriptionum Chriſtiani Orbis, poſitum Cremonæ in Palatio Capitanei; In quo Diſticho non tria tantùm, aut quatuor, ordine, modoq; ſupra ſignificato, referuntur, ſed quinque.
Hic locus odit, amat, punit, conſeruat, honorat,
Nequitiem, pacem, crimina, iura, probos.

Eadem *Correlatio* eſt in ſequenti IOSEPHI BAPTISTAE Epigr. cuius lemma;
Verbi Dei humanæ carnis aſſumptio.
Ingenitus, Genitus, Paracletus, Virgo, Miniſter,
Omnipotens, Sapiens, optimus, alma, volans,
Deſtinat, aſſociat, fœcundat, claudit, adimplet,
Natum, naturas, viſcera, cuncta, modum.

Epigramma
Ex Dialogo.

Dialogus in Epigrammate duplici modo cõſtituitur, vel cum interpoſitione verborum, eorum videlicet, quibus vti ſolemus, dum aliquid referimus, vel ſine vlla prorſus interpoſitione, vt ſequentibus patebit exemplis.

Apud

Apud MARTIALEM in Epigr. xxxviii. *lib.* iii.
AD SEXTVM.

Quæ te cauſſa trahit, vel quæ fiducia Romam,
Sexte? quid aut ſperas, aut petis inde? refer.
Cauſſas, inquis, agam, Cicerone diſertius ipſo,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Atestinus cauſſas, & Ciuis: vtrumque
Noras: ſed neutri penſio tota fuit.
Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis:
Audieris, dices eſſe Maronis opus.
Inſanis: omnes gelidis quicunque lacernis
Sunt tibi, Naſones, Virgilioſq; vides.
Atria magna colam: vix tres, aut quattuor iſta
Res aluit: pallet cætera turba fame.
Quid faciam? ſuade; nam certum eſt viuere Romæ:
Si bonus es, caſu viuere, Sexte, potes.

Et apud AVSONIVM, qui cuidam interroganti reſpondentem facit BIANTEM Prieneum, vnum ex ſeptem Græciæ ſapientibus.

Quænam ſumma boni? mens, quæ ſibi conſcia rectiſ.
Pernicies homini quæ maxima? Solus homo alter.
Quis diues? Qui nil cupiat? Quis pauper? Auarus.
Quæ dos matronæ pulcherrima? Vita pudica.
Quod prudentis opus? Cum poſſit, nolle nocere.
Quid ſtulti proprium? Non poſſe, & velle nocere.

Et apud eundem AVSONIVM;

DIO-

DIOGENI Cynico, in cuius ſepulcro, pro titulo, Canis ſignum eſt.

Dic, Canis: hic, cuius tumulus? Canis. at Canis hic quis?
Diogenes? obijt? non obijt, ſed abit.
Diogenes, cui pera penus, cui dolia ſedes,
Ad Manes abyt? Cerberus ire vetat.
Quonàm igitur? clari flagrat quà ſtellà Leonis.
Additus eſt iuſtæ nunc Canis Erigonæ.

Et apud DARDANIVM, loquentē cum IVSTITIA.

Quæ Dea? Iuſtitia. Ecquid toruo lumine? flecti
Neſcia ſum, lacrymis, vel prece, vel precio.
Quod genus? A ſuperis. Ex quo genitore? Modo. E qua
Matre? Fide. Nutrix quæ tua? Pauperies.
Quis gremio infantem fouit? Prudentia. Quonàm
Freta duce agnoſcis crimina? Iudicio.
Cur gladium tua dextra gerit? cur læua bilancem?
Ponderat hæc cauſſas, percutit illa reos.
Quid rari aſſiſtunt? Quòd copia rara bonorum eſt.
Quæ comes aſſidua eſt? candida Simplicitas.
Aurium aperta tibi cur altera, & altera clauſa eſt?
Hæc ſurda iniuſtis, panditur illa bonis.
Paupere cur ſemper cultu? iuſtiſſimus eſſe
Qui cupit, exiguas ſemper habebit opes.

Maximè ſanè *ingenioſum* eſt Epigramma ex Dialogo, Summi Vatis, MAPHAEI BARBERINI, cuius hoc lemma.

In

In miram huius ſeculi, hiemali tempore florum varietatem.

Veris opes varios flores mirata ſuperbit
Purpureas inter cana pruina roſas.
Ver queritur, mœrenſq;, meos cur, inquit, honores,
Floriferumq; rapis tu mihi, Bruma, decus?
Tu quoque, Bruma refert, glaciem furaris, in æſtu
Vt ſint vina magis grata, niueſq; rapis.
Parcite iurgari, clamat Solertia: per me
Nix æſtate riget, florida vernat Hiems.

Poſt tanti Vatis Epigramma, in quo tot virent flores, in quo vel ipſa vernat hiems, libenter ſubijciam meum, vt ipſum quoque, iuxtà poſitum, cum ſit aridum, euireſcat.

Cœlum, ſepultum MARIAE corpus, vt ſibi debitum, petit à Terra.

Tertia iam lux eſt, Cœlum inquit, Virginis almæ,
Terra, tamen corpus reddere dura negas?
Arcam diuinam, qua olim Deus ipſe latebat,
Indignum, gremio, Terra, iacere tuo.
Cui ſic Terra: animam, Cœlum, complectere; corpus
Terrenum eſt: Terræ reddita terra ſuæ.
At Cœlum, nil iuris, ait, tibi, Terra; ſepulchri
In tenebris corpus dedecet eſſe tui.
Virgineæ carni, rediјt dum Chriſtus ad aſtra,
Aſcendendi ius ad mea Regna, fuit.
Namque caro Chriſti, caro Virginis: hoc mihi corpus,
Terra, igitur, reddas: iure repoſco meo.

Dialogus autem venuſtior eſt, in quo reſpondentis vox reſultat ex *Echone*; de quo nunc agendum.

Epigramma

Ex Echone.

Ingenioſum quidem eſt Epigramma *ex Echone*, eoque magis ingenioſum, quòd ex ſimplici *Dialogo* conſtituitur. *Echo* autem efficitur, cum, vel aliquid antecedens, vel vocis extrema pars effertur: Quæ quocumque loco, hoc eſt, vel principio, vel medio, vel fine carminis collocari poteſt. Vſitatius tamen eſt, eam in fine conſtituere, vt facit IACOBVS LOM. de pace interrogans.

Dic mihi, quæ gelidis habitas conuallibus, Echo,
Cur populus pacem ſic modò clamat? amat.
Ad diuam pacem precibus concurritur? itur.
Vt damnum fugiat triſte colonus? onus.
Ruſticus ergo iterum campos reparabit? arabit.
Et tuto curret remige Nauita? ita.
Omniaq; euenient in mundo proſpera? ſpera.
Largaq; nec rerum copia deerit? erit.

In principio quoque carminis *Echo* ponitur in ſequẽti Epigrammate, è Græco in Latinum conuerſo à IOANNE GAZOLDO.

Numquid in hoc, Echo, portu comes ipſa Moneco eſt?
Echo eſt. *cauſſa loci num puer eſt?* puer eſt.
Narciſſus, forma excellens, qui ſpreuit amores?
Mores. *qui dicit, præmoriar?* moriar.
Si lapis eſt, vox vnde venit, ſi pectora deſunt?
Sunt

Sunt. *age, quænàm ſunt ora tua?* ora tua.
Dic: Dea te tenet hoc incluſam marmore Iunon?
Non. *tu vana refers: dic, fuit hæc?* fuit hæc.
Ille ſtupens tandem cognouit imagine falli,
Et comiti dixit: nil habet iſta ſui.

In omnibus verò locis eſt *Echo* in Epigrammate VLYSSIS BASSIANI, in cuius concluſione non mihi probatur hoc:

Quis docet hæc. Echo.

Cum enim *Echo* ſit vocis repercuſſio, non poteſt vllo modo reddere id, quod vox non effuderit: eſt enim fidelis *Echo*, redditq; voces, vel earum partes extremas non niſi fideliter, nulla facta additione; hac enim naturalis *Echus* ſonus impeditur, nã diſſonat *Echo* ab *hæc*, atque ideò non niſi vitiosè reſultat. Atque vt in hoc loco *Echo* non bene reſultat ob litteræ additionem in fine, ita quoque ſi ei littera, aut ſyllaba præponatnr; ideòq; ex voce *Pes* non iuxta *Echus* naturam reſultat *Spes*, & ex voce, *ibo*, malè reſultat, *adibo*, ſi eiuſdem *Echus* proprietas conſideretur, nihil prorſus non ſolùm poſt ſe, ſed neque ante ſe, addentis, dum voces repercutit, quas potiùs interdum diminuit; atque idcircò ſupra dixi, quod *Echo* efficiatur, vel cum aliquid antecedens effertur, vel vocis extrema pars. Dices, litteram, b, multaſq; alias non eſſe vocales; ideòq; vitioſum non eſſe, ſi ex vocibus, exempli gratia, *albus, imus, os*, &c.

reſultet, *balbus*, *bimus*, *bōs*, &c. Ipſæ quidem, fateor, vocales non ſunt, ſed cum diſiunctæ ſunt; nam vocalibus iunctæ, habent & *ipſæ* vocem ſuā. (vt ex ſuperiorum nominū pronunciatione percipitur) vnde bene dictæ conſonantes, quia iunctæ vocalibus ſimul ſonant; *cum* verò cauſa conſonātium, non eundem ſonum, quem præpoſita vocabula dant, *Echus* vocabula emittant, *Echo* ipſa vitio profectò non caret, cuius naturale eſt, eundem ſonum referre. Licet tamen, vt in exemplis, quæ hic afferuntur, videtur, addere, vel auferre litteram adſpirationis, & litteras a, o, y, quæ ſunt in Diphthongis æ, œ, y i, namque his litteris additis, vel ablatis, idem prorſus ſonus efficitur, Sed afferamus tandem BASSIANI Epigramma.

Quæ celebrat thermas Echo, & ſtagna alta Neronis.
Deludit voces concaua ſæpe meas.
Sæpe hic Narciſſum expecto, ſimul illa moratur:
Si queror, hæc queritur; ſi gemo, & illa gemit.
Quiſnam clamor? amor. *quiſnā furor?* vror. *an Echo?*
Echo. *quæ maior pœna in amore?* moræ.
Expectas Narciſſum? is ſum. *quæ cauſſa morandi?*
Orandi. *non hæc dicta notabit?* abit.
Adfuerat? fuerat. *num iſthic?* hic. *quem fugit iſte?*
IS te. *etiam me?* me. *quod malum amare?* mare.
Num veniet? veniet. *quæ ſpes?* æs. *vincitur auro?*
Auro. *victor ero prodigus æris?* eris.
Sunt pueri faciles? faciles. *vi muneris?* æris.
Quis docet hæc? Echo. *cur bene clamat?* amat.

Echo

Echo eſt etiam in omnibus locis in *Dialogo* FRANCISCI PANIGAROLAE in CHRISTI Natale, ſed cum aliqua ſubinde interpoſitione eorum verborum, quibus vti ſolet, qui aliquid refert; vt fecit MARTIALIS in *Epigr. ex Dialogo*, ſine *Echone*, ſupra allato; in eo verſu videlicet,

Cauſſas, inquis, agam, Cicerone diſertiùs ipſo.

Et MAPHAEVS BARBERINVS in toto Epigrammate, ibidem poſito, & ego in Epigrammate, eidem ſubiecto.

Refert autem PANIGAROLA, quidnam Paſtori Bethlemitæ percontanti reſponderit *Echo*.

Hæc Bethlemitæ Paſtori verba referre
Audita eſt Echo, quæ iuga montis habet.
Quis natus? dixit. Natus. *Patriſnè Iudæi?*
Illa, Dei. *verus nè eſt homo? dixit*: homo.
Atque hic idem nonne Deus remanet? manet. *eſt ne*,
Vt Pater, omnipotens? rettulit illa, potens.
Hunc quid de Cælis duxit? lis duxit. *at iſtam,*
Dic, vtrum vincet? vincet, *& ipſa refert.*
Litis erat radix longæua? Eua: *an mala?* mala.
Num gula ſic potuit? illa refert, potuit.
An Puer hic fiet magnus? quæ reddidit, agnus.
Ipſe ait hoc? ait hoc. *cur ita clamat?* amat.
Is maius noſtro numquid dare poſſit amori?
Reddidit illa, nihil, quam, gemebunda, mori.
Hoc faciet? faciet. *moriens?* orieus. *Deus ille?*
Heus ille. *eſt forſan cauſa tua?* auſa tua.

Diligere hunc ergo par eſt ſuper omnia Chriſtum.
Iſtum. *nonne Deum? dixit*, eum, *& tacuit*.

Epigramma
Ex Anaſtrophe.

Ingenioſum quoque eſt Epigramma, in quo *Anaſtrophe*, quæ latinè *Inuerſio* dicitur.

Anaſtrophe autem Poetis eſt, qua carmina dicuntur cancrina, ſeu retrograda, ſeu recurrentia.

Porrò *Anaſtrophe* duplex eſt: relegũtur enim vel integræ dictiones, eodem carmine permanente, vel in diuerſum mutato; & huiuſmodi carmen ab inuentore, *Sotadeum* appellatur: vel ſingulæ litteræ, & Græcè dicitur hoc carmen *diaulon*, à curſu reciproco: non autem à *Diabolo*, vt quidam Græcæ linguæ ignari putauerunt.

Anaſtrophe, per quam releguntur dictiones integræ, eſt, vel eiuſdem, vel contrariæ ſententiæ.

Eiuſdem ſententiæ, vt in hoc carmine:

Aprilis fauſtus tibi ſit, ſit lætus Aprilis.

Sic enim relegitur, eodem carmine permanente,

Aprilis lætus ſit, ſit tibi fauſtus Aprilis.

Et in hoc

Petras vna trahit vox metris imperioſa.

Quod ita retrocedit mutatum in pentametrum.

Imperioſa metris vox trahit vna petras.

Et in hoc Epitaphio, compoſito à IACOBO FALCONE Equite Valentino, in honorem

HIERO-

HIERONYMI SVRITAE
Vatis, & Hiſtoriographi.

Ingenium, & candor Suritæ viuet, opinor;
Viuet dum mundo carmen, & hiſtoria.

Sic enim retrocedit.

Hiſtoria, & carmen mundo dum viuet, opinor,
Viuet Suritæ candor, & ingenium.

Contrariæ ſententiæ, vt in hoc Diſticho;

Sunt bona, non mala ſunt doctoris dogmata noſtri
Dilige, ne ſpernas, eſt bonus, haud malus eſt.

Tale enim eſt retrogradum.

Eſt malus, haud bonus eſt, ſpernas, ne dilige noſtri
Dogmata doctoris, ſunt mala, non bona ſunt.

Eſt etiam contrariæ ſententiæ ſequens Diſtichon:

Coniugium tibi ſit rectum, nec fœdera iungas
Irrita: ſis fœlix, nec citò diſpereas.

Ita enim relegitur.

Diſpereas citò, nec fœlix ſis: irrita iungas
Fœdera, nec rectum ſit tibi coniugium.

Anaſtrophe, per quam releguntur ſingulæ litteræ, patet in ſequenti Tetraſticho PETRI *à Paſſione Domini*, ex *noſtra Religione*, qui ſæpe in huiuſmodi compoſitionibus laborauit.

Ad Nominis ALEXANDRI VII. Pont. Max. pacem ominantis immortalitatem.

Ecce ſubit nomen Sedes, ne Montibus, ecce
Sidera, rara times, ſemita rara redis.
Nemo: ſub illo certas: ſat; re Collibus omen
Ire Polos, ait: ò Otia Sol operi.

Sed operoſum nimis, & laborioſum carmen, in quo rari admodum ſe ſe cum laude exercuerunt: facilius enim eſt huius generis carminibus irrideri, quàm laudari: difficillimum enim eſt ſententiã aliquam optimã ſic expromere ſine maxima obſcuritate.

Non adeò difficile eſt carmen, quod vocant, *Paromœum*, in quo dictionum litteræ non retrocedunt, ſed eadem littera dat initium cunctis dictionibus.

Hoc autem carmine, vel pura, vel mixta efficitur compoſitio: pura, cum cuiuſque carminis dictiones omnes ab eadem littera initium ſumunt vt,

Dilige doctores docilis, diſcendaque diſce:
Defuge deſidiam, dilige dona Dei.

Mixta, cum cuiuſque carminis dictiones omnes ab eadem quidem littera ſumunt initium, ſed diuerſa ab ea, quæ eſt in carmine ſuperiori, vt,

Perfer perpetienda, parit patientia palmam:
Vince, viam vitij vitato, viue, valeque.

Sed hoc genus carminis, de quo obiter dixi, parùm; ſeu,

ſeu, vt veriùs loquar, mihi nihil arridet; quid enim refert, ſi vnaqæque dictio ab eadem littera incipiat? Arridet potiùs, cum ſingulorum carminum primæ dictiones eas litteras capitales habent, quibus alicuius nomen, vel etiam cognomen, ſeu ſententia aliqua exprimitur, quod genus compoſitionis *Acroſtichis* nominatur, quo delectatum fuiſſe PLAVTVM, ipſius Comœdiarum argumenta teſtantur, capitalibus enim ipſorum carminum litteris, cuiuſque fabulæ nomen indicatur: in quas eaſdem litteras poſſunt etiam ipſa carmina deſinere, vt videlicet, & ab ijsdem incipiant, ijsdemq; terminentur.

Vt videtur in ſequenti S. DAMASI PAPAE Epigr.

De Nomine Ieſu.

I *ure pari regnat communis conditor æu* I
E *t cum Patre pia regnat ſublimis in arc* E
S *idereo ſanctis inſidit numine Regni.* S
V *nde mare, & terras ſolo videt omnia nut* V
S *uggerit humanis, & donat munera rebu* S

Epigramma

Ex Anagrammate.

Anagrammate quoque *ingenioſum* fieri Epigramma, quis non videat? quãdoquidem huiuſmodi carmẽ eſt inſtar admirandi Operis vermiculati, varijs ex litteris, varijs quaſi teſſellis, compoſitum, atque vt illud, ſi præclarum, optimumque ſit *Anagramma*, perennitatem facilè conſequitur; Quod vt præcla-

præclarum, optimumq; euadat, obſerua, Lector, quæ docui in præfatione in meorum *Anagrammaton Libellum*.

Tale eſt carmen HIERONYMI GENVINI optimi Anagrammatographi, ex his vocibus deductum.

Beatus Pater Nicolaus Antiſtes.

Anagramma purum.

Sanè patens tutela, Cuſtos Barij.

Eram nunc ſubditurus cuiuſpiam, cęteroquin laudãdi ſcriptoris, huius generis carmina, ſed cum eorum lemmata ſine coacta, ridicula, ideoque non imitanda, ne lectoribus obeſſem, ſuperſedendum putaui. Rara quidem, imò rariſſima huiuſmodi occurrunt carmina, præclara videlicet, & optima: *omnia* enim *præclara, rara*, vt eſt apud Cic. de Amic. *& in omni re optimum quidque, rariſſimum eſt*, vt habetur apud eundem 2. De Finibus.

Sunt nonnullæ meæ huius generis compoſitiones in meis MVSIS ANCONITANIS, quæ quales ſint, Lectores iudicauerint: Hic vnam tantùm, nõdum typis editam, nam nuperrimè texui, libet apponere, eaq; eſt, ex carmine pentametro, ex ſequẽtibus tribus vocabulis deducta.

Caietanus Thienæus Vicentinus.

Anagramma purum.

Enituit ſanè ſanctus hic à iuuene.

Sic dixi ex hoc, quod in ipſius vita legitur: *Mira à teneris*

teneris annis morum innocentia in eo eluxit, adeò vt Sanctus ab omnibus nuncuparetur.

Sed quoniam vſitatius eſt in Epigrammate aliquod includere *Anagramma*, quàm ipſum Epigramma ex *Anagrammate* contexere, exemplis alijs prioris generis prætermiſſis, eorum Epigrammatum afferemus exempla, in quibus *Anagramma* continetur. quo quidem *Anagrammate*, valde nobile euadit Epigramma, multùmq. illuſtratur: eſt enim Epigramma cum *Anagrammate* quidam veluti anulus cum gemma. Ipſum verò *Anagramma* quocumq. loco Epigrammatis collocari poteſt, videlicet vel in principio, vel in medio, vel in fine.

Epigramma cum Anagrammate in principio.

Eſt apud HIERONYMVM GENVINVM, qui in *Anagrammatis* texendis ſumma cum laude operam poſuit, peculiari enim genio in ea ferebatur (cuius mihi tamen, Italica magis, quàm Latina arrident *Anagrammata*) quo qui caret genio, abſtineat, moneo, ab huiuſmodi exercitatione, cum enim inuita Minerua plurimum laborauerit, nihil, præter meras nugas efficiet, vt multi faciunt *Anagrammatographi*, quorum ineptijs factum eſt, vt compoſitiones *Anagrammaticæ*(alioquin, ſi optimè texantur, admirabiles, perpetuiſq. laudibus efferendæ) pueriles fœtus à compluribus exiſtimētur.

Ciuitas Hieruſalem.

Anagramma purum.

Humilis reatu iaces.

Ep

Epigramma.

Olim excelſa, iaces humilis *nunc iure* reatu,
Tu mors namque illi, qui tibi vita fuit.
Funere crudeli potuit qui occidere Chriſtum
Immeritò, meritò debuit occidere.

Eiuſdem HIERONYMI GENVINI eſt ſequens Epigramma, cui initium ab hoc Anagrammate.

Diuus MARCVS Euangeliſta.

Anagramma purum.

Sum vigil ad Venetas curas.

Epigramma.

Sum Venetas vigil ad curas: *fortis Leo curo,*
Omnes vt curæ ſint procul à Venetis.

Duobus GENVINI Epigrammatis cum *Anagrammate in principio,* placet duo mea ſubijcere.

Diuus STEPHANVS Leuita.

Anagramma purum.

Heu, en iuſtus lapidatus.

Epigramma.

Heu, en iuſtus *obit*, lapidatus: *Iuſtus ab Orbe*
Expectare reo non niſi ſaxa poteſt.

IVDAS ISCHARIOTES.

Anagramma purum.

Is, is author cædis.

Epigramma.

Ad Diuum PETRVM Apoſtolum.

Is,

Is, Petre, cædis erat Chriſti, Petre, cædis is author;
Nouiſti; at ſerò noſcere, Petre, datum.
Si citò nouiſſes, nimio feruore, ſecandum
Abs te equidem Iudam in fruſta fuiſſe, puto.

Epigramma cum Anagrammate in medio eſt hoc
HIERONYMI GENVINI, de Maledicis.
Cenſores, Calumniatores, ac Detractores viri.

Anagramma purum.

Canes, acri liuore cunctas artes ore mordetis.

Epigramma.

Rabidis canes qui dentibus momorderunt,
Pilantur, vt morſus pilis reſanentur.
Liuore, *maledici*, acri, *vti* canes cunctas
Mordetis artes ore: *rictibus, barba,*
Comiſque Scriptores nimis laceſſiti
Crudeliter meritò pilare vos debent.

Et hoc meum Epigramma, cuius Anagrammate clariſsimè patefeci *Summi Pontificatus Vaticinium*, incluſum in ſequentibus dictionibus.

AEMILIVS ALTERIVS
Cardinalis, Romanus.

Anagramma purum.

Mirus, rarus: Illi alma Sedes in Vaticano.

Epigramma.

Facta quis Aemilij ſpectans ſublimia, mirum
Non vocat, & rarum non pietate ſtupet?

Eſt

Eſt, mirus, rarus: Sedes illi alma *futura*
In Vaticano: *nuncia vera ſonant*.
Sic Nomen, Cognomen, Honos, & Patria clamant:
Aemilij at melius ſic bene geſta canunt.

Epigramma cum Anagrammate in fine:
Eſt hoc HIERONYMI GENVINI, de Euchariſtia.
Euchariſtia.
Anagramma. additur S.
Charitas Ieſu

Conditur ſub orbe paruæ
Frugis Orbis Conditor.
Se Deus dapem ſupernus
Promit vber, prouidus:
Paſtor & ſua ſaginat
Carne prodigus gregem.
Paruus, indigus, ter amplum
Diuitem libat Deum,
Eſt amabile, eſt verendum,
Eſt ſatis mirabile,
Largitate quod peregit
Summa Ieſu charitas.

Ne mireris, Lector, nos ſuperiorem GENVINI compoſitionem eo carminum genere conſtantem nomine Epigrammatis, inter Epigrammata inſeruiſſe; namque Epigrammata, vt ait *Iulius Cæſar Scaliger*, noſque ſupra retulimus *Cap.II.* quocunque carminum genere poſſunt explicari, vt plura vide-

videre licet in pulcherrima SILOS Pinacotheca. Proinde etiam bene IOANNES BAPTISTA BARGIOCCHVS, Soc. Ieſu, inter ſua Epigrāmata *lib.* III. poſuit ſequentem compoſitionem ex carmine Sapphico, prępoſito nomine Epigrammatis XXXVI., quam ideò hic ſubdo, quia in eius fine continetur *Anagramma*, contextum ex litteris harum duarum vocum,

IOANNES GODEFRIDVS.

Anagramma purum.

Igneos funde radios.

Hic cum triumphali pene pompa iret in Vaticanū, Cæſaris iuſſa Pontifici expoſiturus, nubilo Cœlo Sol nuſquam apparuit: ex quo ſumpta eſt occaſio ſic illum inuitandi in Romanum Collegium.

Additum Romæ iubar, hùc ſerenos
Prome iucundo radios ab ore,
Dum tibi Phœbus, Godefride, cedit
Lucis honores.
Namque ſtipatus Procerum caterua,
Ora cum Manni premeres habena,
Cæſaris magni expoſiturus almo
Iuſſa Parenti,
Delium vultus veritum coruſcos
Vidimus curru fugiente nimbos,
Inter & Cœli nebulas minorem
Abdere lucem.
Ergo Muſarum tua facta Cœlo
Dum ſacer tollit chorus, hùc nitentis

Igneos

Igneos *oris* radios *amico*
Lumine funde.

Ex meis Epigrammatis *Anagrammate* concluſis, tria ſubijciam.

CLEMENS PAPA IX.

Anagramma c, in t.

Panis, pax, et mel.

Epigramma.

A Summo optandum Nono Clemente quid vltra?
Panis *hic eſt inopi, Mundo* pax, *omnibus* et mel.

Mulieres.

Agramma e, in v.

Mel, virus.

Epigramma.

Quis fidit colubræ mellita luce tuenti?
Quis colubram blandam credit, & vſque fouet?
Eſt inſtar colubræ mulier; ne fide, Iuuentus;
Ipſa mel *aſpectu*, virus *at intus habet*.

Amicus menſæ.

Anagr. purum.

En, is muſca mea.

Epigramma.

Semper adeſt Aulus, menſa, dum prandeo, amicus;
En, is, *fas igitur dicere*, muſca *mea eſt*.

Poſſunt

Poſſunt etiam in Epigrammatis plura inſeri *Anagrãmata* (vt à me non ſemel factum, in *Muſis Anconitanis* videri poteſt) ſed quia plerumque ipſis vnicum tantùm meliùs includitur; horũm exempla tantùm attuli.

Hic non omittam dicere, ex permiſsione, quam licentiam vocant, quæ triplex eſt,

Nempè { *Detractio* / *Additio* / *Mutatio* } litteræ;

optimas Epigrammatis argutias ſuppeditari, præſertim verò ex litteræ mutatione, cuius ſolùm, vt citiùs ad Libri finem perueniam, afferam duo mea exempla, ac primùm, cauſa mutationis litteræ r, in t, in *Anagrammate*, ex ſequentibus tribus dictionibus deducto.

Seraphicus Pater Franciſcus.

Anagramma. r, *in* t.

Factis ceu Chriſtus apparens.

Epigramma.

R, ſtrepitus, iras: fera, tetra, horrentia ſignat;
Dicitur hinc nobis iure canina nota.
T, ſignum Crucis eſt: patet ars Anagrãmate, Lector,
In quo, T, poſitum eſt, R, procul eſſe vides.
Namque Crucem amplexus Franciſcus, iuſſit atroces
Irati furias pectoris eſſe procul.

Conuerſionis cauſſa, ſeu, mutationis litteræ in ſequenti *Anagrammate*, argutè oſtendo per Epigrāma ſubſequens, dolorem ob ALEXANDRI Papę VII. obitum, in lætitiam conuerſum ob Succeſſorem.

CLEMENS Diuina Prouidentia IX.

Anagramma. a, *in* o.

Petri Sede, anno M. DC. LXVII. Iunio.

Epigramma.

Cernis in o, *verſum* a? *non hoc,niſi ritè peractum*:
Hoc factum reputes non ratione procul.
Lætitia, o, *reſonat, dolor,* a: *Clemente ſedente*
Eſt in lætitiam verſus vbique dolor.

Præterea, ne quid prætermittatur, quod ad optimū pertinet Epigramma, quale eſt ingenioſum, addo, non ſolùm tale eſſe, in quo voces, per *Anagramma* textæ ex litteris vocum lemmatis. verùm etiam, in quo ſunt voces, quibus vox lemmatis capitales tantùm litteras impertita eſt.

Præcipua autem opera danda eſt, vt iſtæ voces, quibus vox lemmatis imponit litteras capitales, in primis accōmodatæ ſint, vocique lemmatis quidpiam maximè congruens, propriumq. ſignificent. vt bene factum patet à BERNARDO BAVHVSIO Soc. Ieſu, ſequenti Diſticho, de PAPA

Ad BIBLIANVM Batauum.

Scis Bibliane Batque, quid ſignet, PAPA?
Qui Petri Apoſtoli Poteſtatem Accepit.

An

An id quoque ipſe præſtiterim in ſequentibus duabus compoſitionibus, alijſque in *Anconitanis Muſis* poſitis, viderint Lectores.

A D A M.

Attulit Damnum Auſus Manducare.

Diſtichon.

Manducare Auſus *pomum,* Damnum Attulit *Orbi*
Primus homo: vel ſic nomine clamat ADAM.

E V A

Eſu Vitam Amiſi.

Thetraſtichon.

Eſu Vitam Amiſi: *ipſis quoque mœſta fatetur*
En mortem proprij Nominis EVA notis.
Ergo alij, quòd edũt, viuũt: morte EVA, quòd edit,
Preſſa: niſi ediſſet, vixerat illa quidem.

Denique Epigramma optimum eſt, ſi ipſius Partes, *Narratio* videlicet, & *Argutia*, iſs virtutibus exornantur, iiſque *Locis*, & *Modis* comparantur, de quibus hactenus actum eſt.

Sed diligentiſsimè curandum eſt, vt Epigramma ſit breue: *Breuitas* enim proprium quiddam eſt Epigrammatis, vt ait *Scaliger*: Breue autem erit, ſi nihil ſuperuacaneum admiſerit, licèt ex multis carminibus compoſitum fuerit: vt ſunt aliqua apud MARTIALEM, quæ trigeſimum verſum excedunt, etenim, vt idem MARTIALIS ſcripſit ad *Coſconium* in Epigr. LXXVII. *lib.* II. ipſius MAR-

TIALIS Epigrammata longa exiſtimantem.

Non ſunt longa, quibus nihil eſt, quod demere poſſis.

Nam ſi contra, Epigrāma diſticho tantùm, vel etiam monoſticho conſtabit, otioſum autem aliquid continebit, longum erit iudicandum. Vnde iure merito, ſtatim poſt carmen allatum, ita ille concluſit in ipſum *Coſconium* huiuſmodi Epigrammata componentem.

Sed tu, Coſconi, Diſticha longa facis.

Verumtamen, quoniam vox ipſa *Epigramma* nihil aliud latinè ſignificat, quàm *Inſcriptionem*; Inſcriptio autem breuis eſſe ſolet; congruentiùs quidem eſt, vt potiùs paucis carminibus, quàm multis Epigrammata frequentiùs abſoluamus, vt Epigrammatographorum Corypheus MARTIALIS exemplis ſuis, plerumque breuibus, ſatis nos docet.

Atque hæc ſunt, Lector, quæ *de ratione Epigrammatis ritè conficiendi* tradenda iudicaui.

Nunc optimus Operis concludendi modus poſtulare videtur, vt, quæ diffuſè toto Opere dicta ſunt, hic ſummatim repetantur.

Ob id agendum, vſurpabo Epigramma de Epigrammate SIMONIS VALLAMBERTI ad ARCHIDAMIVM; ac mihi quidem videor nonnihil belliſſimè facturus, ſi *Opus de Epigrammate Epigrammate* clauſero, atque hoc præſertim, in quo optimè continetur.

Epi-

Epitome totius Libri.

Doctum vis Epigramma, quod corones,
Et quod Theſpiadum loces in æde,
Quo nil doctius euenire poſſit,
Quo nil rarius inuenire poſſis,
Quod non, Archidami, dabamus ipſi?
Hoc quo tu ipſe dabis modo, docemus,
Sit aptum, breue, lene, liberumque,
Atque æquabiliter fluens, decorum,
Preſſum, perſpicuum, oppidò venuſtum,
Neruoſum quoque, & haud inuſitatis
Verbis compoſitum, neque obſoletis:
Non exſangue, nec horridum, nec hirtum,
Nec vaſtum, neque ruſticum, aut inane.
Inflatumque, nihilue diſſolutum,
Spinoſum nihil, atque nil abhorrens
A noto genere, & modo loquendi.
Voces non coeant, nec aſperè, nec
Hiulcè; ſonus auribus benignus,
Sit perbellum, hilarum, facetum, acutum,
Argutumque, modos habens ſuaues,
Conſperſum ſalibus, iocis, lepore;
Ac mixtas venereſque, gratiaſque, &
Riſus, blanditiaſque comprehendat.
In quo naſus erit quidem, voluptas,
Dignitas, grauitas; monebit vt res.
Non mordax, petulanſue, non acerbum:

Ac

Ac non turpe ſonans, nec eſto molle:
Interdum reprehendat, atque iurget,
Ipſum nil reprehenſione dignum.
Nunquam criminibus ſit ingerendis.
Sæpè laudet; & hac modus ſit in re.
Verum,, quicquid agat, ſit ad docendum
Mulcendumque Epigramma ſemper aptum.
Sit vis, ars, imitatio erudita;
Seu laudes aliquid, ſecuſue faxis,
Commendes, moneas, petas, roges, aut
Conſulas, doceaſue, denique omni
Sit ex parte Epigramma terminatum,
Sic, vt huic nihil addi, & vnde demi
Nil poſſit. breuiter; ſit arte factum;
Quale Pierides canunt Camœnæ,
Quale dulce canit Minerua, Phœbus;
Quale, vel Maro, quale Martialis,
Quale hoc tempore nobiles poetæ,
Galli, turba Iouis quid arte claros
Omnes commemorem viros, canendi?
Hoc quicunque Epigramma diligenter
Scribet, hic Epigramma, quod corones,
Scribet, quodque loces in æde vatum;
Quo nil doctius euenire poſſit,
Quo nil rarius inuenire poſſis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX AVTHORVM,

Quorum Epigrammata in hoc Opere ponuntur.

Alexander VII. P. M. *ſiue*, Fabius Chiſius, *ſiue*, Philomathus.
Alexander Pollinus.
Alexius à B. V. Conceptione.
Aloyſius Grotus, cæcus Hadrienſis.
Anacreon.
Andreas Baianus.
Andreas Marianus.
Angelus Colotius.
Angerianus.
Antonius Guzzius.
Antonius de Rombiſe.
Antonius Sfortia.
Auguſtinus Fauoritus.
Aurelius Vrſius.
Auſonius Gallus.
Authores anonymi.
Bartholomæus Beuerini.
Benedictus Soſſagus.
Bernardus Bauhuſius.
Bernardus Dardanius.
Camillus à S. Hieronymo.
Carolus à S. Antonio Patauino.
Carolus Sinibaldus.
Carolus Ioannes à Ieſu.
Catullus.
Claudius Achillinus.
Cl. Claudianus.
Damaſus Papa.
Emmanuel Theſaurus.
Fauſtus Sabæus.
Ferdinandus Furſtenbergius.
Franciſcus Franchinus.
Franciſcus Panigarola.
Franciſcus Petraglia.
Franciſcus Remondus.
Franciſcus Rogerius.
Gvilelmus Scardinus.
Guilielmus Blancus.
Henricus Stephanus.
Hercules Stroza.
Hieronymus Aleander.
Hieronymus Amaltheus.
Hieronymus Balbus.
Hieronymus Genuinus.
Hieronymus Prætus.
Hieronymus Salina.
Hippolytus Capilupus.
Iacobus Bidermanus.
Iacobus Falcon.
Iacobus Lom.
Iacobus Rogerius.
Iacobus Sannazarius.
Ianus Caſperius.
Ianus Nicius Erythræus.
Ianus Vitalis.
Ioachimus Bellaius.
Ioannes Anigius.
Ioannes Caramuel.
Ioannes Oaucnus.

Ioan-

Ioannes Secundus.
Ioannes Aloyſius Cerchiarius
Ioannes Baptiſta Amaltheus.
Ioannes Baptiſta Bargiocchus.
Ioannes Baptiſta Marinus.
Ioannes Franciſcus à Ieſu.
Ioannes Franciſcus à S. Petro.
Ioſeph Baptiſta.
Ioſeph à B. V. Conceptione.
Ioſeph à Ieſu Maria.
Ioſeph Silos.
Ioſeph à Viſitatione.
Iouianus Pontanus.
Iulius Cæſar Scaliger.
LAurea Tullius.
Laurentius Legatus.
Laurentius à S. Xyſto.
MAphæus Barberinus, nĕpe, Vrbanus VIII. P.M.
Marcus Antonius Muretus.
Marcus Valerius Martialis.
Marius Molſa.
Martha Marchinia.
Matthias Caſimirus Sarbieuius.
OCtauius Boldonius.
Octauius Tronſatellus.
PEtrus Alois
Petrus Angelius.
Petrus à Paſſione Domini.
Pictorius.
ROdulphus à S. Hieronymo.
SAbinus.
Sebaſtianus Baldinus.
Sigiſmundus Regulus à S. Syluerio.
Simon Vallambertus.
Sympoſius.
THomas Morus.
Thomas Porcacius.
Titus Stroza.
Tryphon Bentius.
VBertinus Carrara.
Vincentius Guiniſius.
Virgilius Maro.
Vlyſſes Baſſianus.

Errata Typographica.

Pag 79. lin 4. reuocare, corrige, vocare. pag. 103, lin 7. erecta, cor. erectam. p. 111. lin. 2. decem, cor; decent. p. 136. lin. 14. expolitamq. cor. expolitumq. p. 159. lin 22. nobilis, cor. nobis. p. 162. lin. 2. Mec. cor. Nec. p. 207. lin. 13 ſic floribus, cor. ac floribus. p. 227. lin. 4. & 19 Iouiniani, cor. Iouiani. p. 255. lin. 15. Anſtar, cor. inſtar. p. 289. lin. 19. odores, cor. odorem.

Pressadolori; cat.